Harms, Carl Hermann

De introitu personarum in Euripidis et novae comoediae fabulis

PA
3978
H3

DE INTROITV PERSONARVM IN EVRIPIDIS ET NOVAE COMOEDIAE FABVLIS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLVS HARMS

EMDENSIS.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMXIV.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt F. Leo † et M. Pohlenz.

Examen rigorosum habitum est
a. d. VI kal. Decembr. MCMXIII.

PA
3978
H3

LIBRARY
745169
UNIVERSITY OF TORONTO

In hoc opusculo numeris harum editionum usus sum:

Aeschylus ed. Arthurus Sidgwick,
Sophocles ed. Augustus Nauck,
Euripides ed. Adolphus Kirchhoff,
Aristophanes ed. Augustus Meineke,
Menandrea ed. Alfredus Koerte,
Plautus ed. Fridericus Leo,
Terentius ed. Carolus Dziatzko.

Scholiorum editiones adhibui has:

Scholia in Sophoclem vetera ed. Petrus Papageorgius,
Scholia in Euripidem ed. Eduardus Schwartz,
Scholia in Aristophanem ed. F. Duebner.

Constat novam quae dicitur comoediam potius tragoediae Euripideae quam veteris comoediae formam atque rationem secutam esse [1]). Imprimis autem Menander consulto Euripidem imitatus est. Quod cum iam antea omnibus viris doctis notum erat (Quintil. instit. orat. X. 1, 69 „Imitatus maxime est, ut saepe testatur, et secutus, quamquam in opere diverso, Menander . . .“), tum, postquam reliquiae nonnullarum Menandri fabularum a Lefeburio anno 1905 detectae sunt, plane cognitum est. In Disceptantibus enim fabula argumentum illius scaenae, qua factum est, ut Menander hunc indicem ab argumento totius fabulae prorsus alienum eligeret, haustum esse ex Alope fabula Euripidis intellectum est iamdudum (vid. Koert. praef. pag. 22 et H. Fischl., Herm. 43, 311); deinde personae Menandreae Euripidis fabulas pernorunt et versus afferunt, e. gr. Sophrona versus ex Auge desumptos affert (Disc. 583). Quid quod etiam expositio fabulae Menandreae argumentum fabulae Euripideae mihi quidem in mentem revocat? Nonne optime cum Menandro concinunt verba ex Mosis Chorenensis Progymn. allata, quae apud Angelum Maium ad Eusebii editionem Mediol. 294 (Meineke com. V, 57) leguntur:
„dum in Arcadiae quadam urbe festum Minervae celebraretur, cum eiusdem sacerdote Augea Alei filia choreas in nocturnis sacris agitante rem Hercules habuit, qui et huius furti testem reliquit ei anulum . . .“ [2]).

1) Cf. Leo hist. litter. Rom. I, cap. V, 2.

2) Hoc argumentum Meinekius ex comoedia aliqua profectum esse putavit, sed Wilamowitzius (Analect. Eurip. pag. 186 ss.) iure de

Ergo et in Auge Euripidea et in Disceptantibus Menandrea virgo aliqua, dum nocturna sacra agitantur (v. Disc. v. 235 s.), a viro ebrio (v. Disc. 255) vitiatur, qui anulum in manibus puellae „huius furti testem“ relinquit. Cum ex his rebus fabulas quodam modo inter se cohaerere veri simile fiat, tamen eas non artius inter se cohaerere existimarem quam cum ceteris fabulis, in quibus de stupro furtivo agitur, nisi certum indicium accederet. Neque enim forte factum esse puto, ut in ipsa recognitione fabulae Menandreae, postquam res illa nocte gestae significatae sunt, verba ex Auge desumpta occurrant, sed Menandrum his verbis quasi digito monstrasse apparet, se fabulae Euripideae meminisse et sibi conscium esse imitationis. Ita comicum ab Euripidis argumentis pendere reputantibus nobis non iam mirum est, quod Menander etiam artem Euripidis secutus est; et de ceteris poetis novae comoediae idem dici debet. Quod cum iam ab aliis in aliis rebus demonstratum sit, nobis in causis introitus personarum accuratius ostendere propositum est, et quamvis in re minutula, tamen manifestum fore spero, quam arte tragoedia et comoedia nova inter se cohaereant.

Non temere dixi causas introitus personarum exiguas esse res; cum de fabulae virtute quaeritur, non magni interest, utrum poeta causas adeundi indicet necne; causae enim fere non ex ingenio poetico, sed ex ratione iudicioque oriuntur; itaque pro natura et ingenio poetae eas tractaverunt: Shakespearius praestantissimus ille poeta Britannicus personas in scaenam ducit, cum eas adesse opus est, non multa secum de causa introitus reputans, atque Schillerus, semper nihil spectans nisi summas res, suo arbitrio causas neglegit vel curat; Hebbeli autem in fabulis accurate causae adeundi indicantur, ut est poeta ratione fingens.

Auge fabula Euripidea cogitavit. Tamen non solum Wilamowitzius, sed etiam Meinekius recte senserunt, scilicet argumentum et ad fabulam Euripideam aliquam et ad comoediam aptum est et revera in utroque genere adhibitum est.

At haec licentia nostris permissa est poetis, non erat antiquis: eis more et consuetudine artis praeceptum erat, ut aditus personarum probarent, ubicumque ulla poterant ratione; quod ex fabularum observatione cognoscitur[1]).

Sed actio fabularum antiquarum cum semper in via vel publico ante aedes loco ageretur, poetis scaenicis Graecis difficultates oriebantur aptarum causarum excogitandarum. Itaque non semper species veri servata est et non numquam in causis offendimus, „ubicumque dramatis argumentum latius patet. Nam non solum multae res locis a conspectu amotis aguntur, sed etiam ex iis, quae uno eodemque loco versantur, multa — atque ea saepe gravissima — non ante aedes, sed intus fiunt.“ (Fraenkelius, De media et nova comoedia quaestiones selectae, Gott. diss. 1912.)

Vix dicendum esse puto poetas offensiones, si modo voluissent, evitare potuisse; sed ea ipsa re, quod interdum offensiones exstant, causas non semper tam promptas fuisse ostenditur, ut facile et apte adhiberentur. Consentaneum igitur est novam rationem introitus probandi haud ineptam siquis reppererat, multos statim poetas adhibuisse. Unde sequitur, ut earum tantum causarum ab Euripide usurpatarum in hac quaestione mentio fieri debeat, quas eum primum adhibuisse demonstrari posse videatur. Ergo propositum nostrum accuratius ita circumscribitur, ut quatenus comici causis ab Euripide inventis usi sint, quaeramus. Itaque tritas illas causas,

sive personae iussae scaenam introeunt,
sive mandato perfecto in scaenam redeunt,
sive in scaenam ex aedibus evocantur,
sive pulsato ostio prodeunt,
sive in scaenam adducuntur,
sive aliunde domum redeunt,
sive ad propositum aliquod persequendum egrediuntur,

praetermittamus et in eos solos locos Euripideos animum

1) De nonnullis locis, qui excipiendi esse videntur, infra agam.

intendamus, qui aliqua ratione, quam neque Aeschylus neque Sophocles noverunt, insignes sunt. Sed praeterea respiciamus necesse est, quod nova comoedia cum comoedia vetere cohaeret; itaque cavendum est, ne Aristophanis fabulas neglegamus.

Ita proposito et ratione nobis ineunda definitis nonnulla praemittere opus est de Euripidis et comicorum fabulis. Nam cum de origine causae alicuius quaeritur, multum interest, quo tempore fabulas Euripideas conscriptas esse constituamus; ordo enim fabularum usui est, quo quis primus causam adhibuerit cognoscatur. In hac quaestione difficillima, ne disputationem nimis onerarem, ordinem a Schmidio in libro de litter. Graec. usurpatum secutus sum.

Iam complectar, quid de fabulis comicorum sentiam. Fragmentorum Menandri Graecorum nobis perpaucis exceptis nulla praeter maiora usui sunt, quae Alfredus Koerte edidit. Latine autem conversae a Plauto et Terentio nonnullae exstant fabulae Menandri integrae. Fabulae Plautinae certo a Menandro profectae sunt hae: Cistellaria, Bacchidum maior pars, qua Menandri Δὶς ἐξαπατῶν exprimitur[1]), Stichi scaenae prima et altera primi actus; verisimillimum esse etiam Aululariam esse Menandream commentariolo praeclaro Geffckenus (Progr. Hamburg. 1898) exposuit[2]). Fortasse etiam ea pars Poe-

1) Fraenkelius p. 100 ss. fabulam esse contaminatam ostendit.

2) Argumentis viri doctissimi, quae Wilamowitzius (Neue Jahrbücher f. d. kl. Alt. 1899 p. 517) laudavit, pauca addi posse puto. Etenim fabularum arte comparata arbitror comprobari eundem poetam fecisse Samiam et Aululariam, quam imaginem Menandreae Dyscoli esse Geffcken. voluit:

1) In Samiae v. 142 coquus in scaenam procedit Parmenonem quaerens, qui eum in scaena nuptiali apparanda adiuvare iussus erat;

2) sed post paucos versus (151) fores crepare audit, atque cum aliquis exeat, μικρὸν ὑποστήσεσθαι animum inducit.

3) Dein Chrysis a Demea ex aedibus extrusa prodit.

4) Atque tota scaena, in qua coquus loquitur, Menandrum id solum spectare apparet, ut spatium temporis inter Demeae abitum atque reditum intermissum quasi impleat.

nuli, quae ad Graecam fabulam Καρχηδόνιον refertur (II; IV. 1—V, 4), Menandro attribuenda est: etenim cum et Menandrum et Alexidem Καρχηδόνιον fabulas inscripsisse notum sit, Geffckenum (p. 5, adnot. 1) nemo reprehendet dicentem artem morum describendorum subtilem Menandrum sapere. Pseudoli quoque pars Menandrea videtur esse: quodam enim loco Menandri Thesaurus significatur, quae verba cum non contra poetam Thesauri pugnent, Leonem satis veri simili ratione usum esse puto, cum hanc partem fabulae contaminatae a Menandro ortam esse diceret.

Terentius autem quattuor fabulas Menandreas convertit, Andriam, Heautontimorumenon. Eunuchum, Adelphos. Quarum tres, Andriam, Eunuchum, Adelphos contaminatas esse Terentius ipse confitetur; et cum Andria Perinthiae Menandreae quasdam partes coniunxit, in Eunuchum personas militis et parasiti ex Colace Menandri transtulit. in Adelphis ea pars, qua raptio meretricis in scaena agitur, ex Diphili Commorientibus oriunda est[1]).

Eadem ars in Aul. v. 398 ss. adhibetur:

1. Post Euclionis discessum (397) ex aedibus Megadori coquus exit atque introrsus pueris imperans sibi propositum esse dicit a Congrione artoptam utendam petere;

2. sed cum in aedibus Euclionis clamor oriatur, domum rursus fugit;

3. atque Congrio fugatus et Euclio persequens egrediuntur.

4. Hic quoque tota scaena poeta tempus inter Euclionis abitum et reditum consumere aliquo modo studet. — Hi loci tam similes sunt, ut eos, etiamsi fabulas novae comoediae saepe locos geminos et similes exhibuisse constat, tamen diversorum poetarum esse vix credam.

1) Heautontimorumenon fabulam Terentium contaminavisse Venedigerus (Annal. Fleckeisen. 1874 p. 129) tam temere ratiocinatus ostendere studebat, ut inutile sit eius opinionem redarguere. Etiam Fr. Skutschius (Philol. 59, 1) hanc fabulam contaminatam esse iudicat propter versum controversum prologi 6; quae verba vertit: Das Stück ist aus einem einfachen zu einem doppelten gemacht". Quod si poeta dicere voluisset, versum sic potius conformasset: „Quae ex argumento simplici facta est duplex". Itaque Leonem (Anal. Plaut. De fig. serm. II, 20) secutus Terentium idem, quod versu dicit, planius his verbis

Philemonis fabulas novimus tres a Plauto versas, Mercatorem, Trinummum, Mostellariam, quae non contaminatione immutatae sunt.

Diphili Rudens integra, Casina magnam partem contaminata est; etiam Vidulariam, cuius nihil nisi fragmenta supersunt, eidem poetae esse tribuendam verisimile est.

Exemplaria Phormionis et Hecyrae Terentianarum erant fabulae Apollodori Carystii, Asinariae Plautinae auctor Demophilus. Reliquae fabulae anonymae sunt. Ex his Captivi, Curculio, Epidicus, Menaechmi, Persa, Truculentus unum habent et simplex argumentum, ceterae aut contaminatae sunt [Amphitruo, Militis I, IV, V] aut alterae partes fabularum contaminatarum [Amph. I, 3 et II, 2[1]), Bacchidum tertia fraus, id est scaena IV, 9 inde a v. 953, altera pars Casinae II 7 ss., Militis II, prior pars Poenuli, Pseudoli scaenae I, 1; I, 5; V, 2, Stichi pars media, Stichi V]. Sed quos aditus Terentius et Plautus contaminando mutaverint, suo loco ostendemus.

Euripides ab Aeschylo et Sophocle maxime eo differt, quod tragoediam magis ad vitam cotidianam conformavit (Arist. ran. 959: οἰκεῖα πράγματ' εἰσάγων, οἷς χρώμεθ', οἷς ξύνεσμεν . . .). Itaque non veretur, ne personas templum verrentes (cf. Jon.) et a loco ubi vestes eluebant revertentes (cf. chorum Helenae et Hippol.) in scaenam inducat. Deinde agricola in Electra mane ad agrum se confert. Sed etsi comici in talibus rebus cum tragico consentiunt, — e. gr. in Heautontim. 420 Menedemus mane palam umero portans egreditur et Daemones et Sceparnio Rud. initio palis lutum et terram confodiunt, — tamen inde non concludi potest eos Euripidem imitari.

enuntiaturum fuisse existimo: „quae argumento cum sit duplici, ex una tamen comoedia conversa est.“ Cf. etiam Leo, hist. litt. Rom. I, 241, adnot. 4.

1) Cf. Leo, Nachr. d. Gött. Ges. 1911, 254 ss., et idem, Qu. Pl.[2] 185 adn. 2.

Alterum enim genus, unde nova comoedia orte est, comoedia antiqua, multo magis quam tragoedia Euripidea vitam cotidianam effingebat.

CAPUT I.

De locis, quibus singulae personae affectu commotae prodeunt, agitur.

Amphitr. 882 ss. „Durare nequeo in aedibus; ita me probri,
Stupri, dedecoris a viro argutam meo.“

Haec verba dum loquítur, Alcumena procedit affectu pudoris et indignationis commota ut exeat. Egregium hoc est exemplum in fabulis novae comoediae affectum esse causam adeundi. Etiam loco Mercat. 588 ss. affectum personam intus expulisse verbis dicitur:
„Sumne ego homo miser, qui nusquam bene queo quiescere? Si domi sum, foris est animus, sin foris sum, animus domist.“

Utroque loco animi affectus comoediam, quae vitam cotidianam effingit, magnopere excedunt et personae sermone utuntur, qui potius tragoediae sonum adaequat; praesertim pudor sanctitasque feminae laesae qua Alcumena commovetur efficit. ut brevi obliviscamur comoediae; Charini autem verbis admonemur nescio quomodo de verbis Euripideis ab Aristophane in Acharn. fabula lepide in risus deflexis [396: οὐκ ἔνδον ἔνδον τ' ἐστίν, εἰ γνώμην ἔχεις] et similibus vocibus (cf. e. gr. Ion. 251). Itaque cum et affectus personarum loquentium et verba horum versuum tragoediam sapiant, verisimile videtur esse comicos etiam affectum adhibere causam adeundi ex tragoedia didicisse. Et profecto ex tragoedia haec causa orta est, et ut accuratius dicam, duxit originem ex tragoedia Euripidea.

Haec argumentis confirmari opus esse puto. Etenim audire mihi videor, qui me nimis proprie de Euripide ea

verba dixisse iudicent. „Nonne unaquaeque fere fabula tragicorum plena est affectuum incitatorum? Et tamen Euripidem primum affectu aditum personarum probare dicis coepisse?“ Sane quidem contendo.

Nam ex numero locorum, qui huc pertinent, excipiendi sunt, quamquam persaepe cum locis, quibus affectus causam praebet, confunduntur[1]), ii, quibus persona aliqua progressa sub divo somnium enarrat. Quales inveniuntur hi:

Hec. 59. Hecuba, quam servae comitantur, ex tentorio prodit: qua de causa exitura esset, iam antea Polydorus dixit (v. 54): φάντασμα δειμαίνουσ' ἐμόν. Scholiasta quidem aliqui propter versus 53/54

περᾷ γὰρ ἦδ' ὑπὸ σκηνῆς πόδα
Ἀγαμέμνονος φάντασμα δειμαίνουσ' ἐμόν.

coniecit eam in tabernaculum Agamemnonis, ut Cassandram (v. 87) de somnio consuleret, introisse et nunc, filia intus non reperta, ex tentorio reverti. At Murrayum recte v. 54 in suspicionem vocavisse puto. Immo ex versibus 68 ss.

ὦ στεροπὰ Διός, ὦ σκοτία νύξ,
τί ποτ' αἴρομαι ἔννυχος οὕτω
δείματι, φάσμασιν; ὦ πότνια Νυθών,
μελανοπτερύγων μήτερ ὀνείρων
ἀποπέμπομαι ἔννυχον ὄψιν . . .

aliam esse causam apparere mihi videtur. Scilicet eadem est, quam Iphigenia (Iph. Taur.) versibus 42/43 profitetur:

ἃ καινὰ δ' ἦγεν νὺξ φέρουσα φάσματα
λέξω πρὸς αἰθέρ', εἴ τι δὴ τόδ' ἔστ' ἄκος.

Ergo quid spectet, cum somnium naturae enarrat, ipsa dicit. Nihil aliud in animo habuit Clytaemestra in Soph. El. 424 s.:

1) Cf. Patinius (Études s. l. trag. gr., Eurip. I p. 124 adnot.). Wolterstorffius (Soph. et Eur. Electrae quo ordine sint compositae, Jen. diss. 1891), Kaibelius ad El. v. 86, Weckleinius ad Phoen. v. 1.

τοιαῦτά του παρόντος, ἡνίχ' ἡλίῳ
δείκνυσι τοὔναρ, ἔκλυον ἐξηγουμένου.

Ad hunc locum scholia Laurentiana adnotant: τοῖς γὰρ παλαιοῖς ἔθος ἦν ἀποτροπιαζομένους τῷ ἡλίῳ διηγεῖσθαι τὰ ὀνείρατα. Kaibelius eos versus Electrae in hunc modum explicat p. 137: „Das δεῖξαι ⟨wird⟩ nicht als apotropäisches Gebet zu fassen sein, sondern wie bei Pind. fr. 42 Bgk.: καλῶν μὲν ὧν μοῖράν τε τερπνῶν ἐς μεσὸν χρὴ παντὶ λαῶι δεικνύναι. At enim virum doctum non recte iudicare loci Euripidei, quorum unum tantum, Iph. Taur. v. 42/43, respexit et attulit, mea quidem sententia demonstrant, ut non habeamus, cur reiciamus scholium Laurentianum. Praeterea hanc explicationem scholiasta non ex hoc loco Sophocleo ducere, sed verum morem referre videtur[1]).

Itaque quivis poeta eam causam adhibere potuit, neque quis ea primus usus sit erui potest. Ergo noli contendere Diphilum morem Euripidis vel alius tragici imitatum esse, qui in Rud. v. 593 Daemonem narrantem quid somniaverit inducit.

Iam restat unus locus Aeschyleus, qui sententiam quam supra proposui dissuadere possit. Reischius enim in libro de theatro Graeco una cum Doerpfeldio edito (p. 240) loco Agam. v. 1372 Clytaemestram affectu commotam procedere opinatur („voll trotziger Befriedigung"), sed ita ideo censere mihi videtur, quod hoc loco eccyclema ab Aeschylo adhibitum esse non concedit. At cum post Roberti (Herm. 32, p. 434 ss.) disputationem eius sententia me iudice non defendi possit, hic locus non iam in censum venit.

---

1) Cf. Kurt Wachsmuth, Das alte Griechenland im neuen, Bonn 1864, p. 52: „Auch sonst sind derartige Spuren alten Naturdienstes nicht eben selten. Einleuchtend ist das z. B. bei der Sitte (welche Curtius, Zur Geschichte des Wegebaues bei den Griechen, S. 86, hervorhebt), daß schwere Träume der aufgehenden Sonne zugekehrt laut ausgesprochen werden, um so der Last los zu werden, gerade wie Klytaemestra mit geängstigter Seele ihre Träume vor den Apollon Agyieus bringt."

Iam non possumus, quin Euripidem illorum comoediae locorum exemplar fuisse censeamus. Tragicus exempla variorum affectuum effingendorum invenit non solum dramati, sed omnibus litterarum generibus. Nostra vero interest videre, quomodo affectu usus sit, ut introitum personarum probaret.

a. Identidem personas inducit, quae affectu, ut prodeant et miserias suas narrent, commoventur, neque homines testes dolorum faciunt, sed solitudinem, — itaque semper in scaenam vacuam introeunt, — et invocant naturam et elementa.

Primus eius modi locus et ex antiquis temporibus praeclarissimus est prologus Medeae, in qua scaena nutrix Medeae dolore et maerore perturbata, cum omnino amicis careat, terrae et caelo dominae res adversas narrat: v. 56

ἐγὼ γὰρ ἐς τοῦτ' ἐκβέβηκ' ἀλγηδόνος,
ὥσθ' ἵμερος μ' ὑπῆλθε γῆ τε κοὐρανῷ
λέξαι μολούσῃ δεῦρο δεσποίνης τύχας [1]).

Scholium ad v. 57 adnotatum laudat causam: καλῶς ὁ Εὐριπίδης μεμίμηται τοὺς ἐν μεγάλαις δυστυχίαις ἐξεταζομένους καὶ μηδενὶ τῶν ἀνθρώπων θαρροῦντας ἀπαγγεῖλαι τὰ δυστυχήματα . . . οὗτοι γὰρ σιωπᾶν τὰς συμφορὰς μὴ δυνάμενοι καὶ λέγειν ἀνθρώποις φοβούμενοι οὐρανῷ ἢ γῇ ἢ θεοῖς ἄλλοις διηγοῦνται.

Affectu etiam Hippolytus v. 601 ss. impellitur, ut naturae queratur, quam invocat

ὦ γαῖα μῆτερ ἡλίου τ' ἀναπτυχαί,
οἵων λόγων ἄρρητον εἰσήκουσ' ὅπα.

Postquam nutrix Phaedrae res inauditas cum eo communicavit et eum in stuprum illicere studuit, a tali nequitia abhorrens animo quam maxime commoto ex aedibus procurrit. Sed se luci et terrae quae sibi acciderint detegere velle non apertis verbis dicit, quod magis perturbatus est, quam ut causam aditus explicare possit. Prae-

1) Hanc causam Ennius recepit cf. fr. III Medeae exulis p. 51 Ribb.

terea nutrix eum subsequitur et retinere conatur, ita ut ad eam se convertere debeat.

In Phoeniss. exordio solem Iocasta invocat et Labdacidarum miserias infinitas lamentatur:

> Ὦ τὴν ἐν ἄστροις οὐρανοῦ τέμνων ὁδὸν
> καὶ χρυσοκολλήτοισιν ἐμβεβὼς δίφροις
> Ἥλιε, θοαῖς ἵπποισιν εἰλίσσων φλόγα,
> ὡς δυστυχῆ Θήβαισι τῇ τόθ' ἡμέρᾳ
> ἀκτῖν' ἐφῆκας. Κάδμος ἡνίκ' ἦλθε γῆν
> τήνδε . . .[1]).

Scholiasta aliquis ad primum versum adnotat: ἔθος ἔχουσιν οἱ τραγικοὶ παράγειν τοὺς ἥρωας θεοῖς τὰς συμφορὰς ἀπολοφυρομένους, καὶ ἐν Μηδείᾳ· ‚ὥσθ' ἥμερος μ' ὑπῆλθε γῆ τε κοὐρανῷ'.

Grammaticus ille antiquus recte sensit hos locos simillimos esse; at qua re locus Phoenissarum a Medeae versibus differret, non dixit: Illo loco nutrix apertis verbis se propterea prodisse, ut elementis malas res narraret, indicat, hoc loco nihil iam eiusmodi invenitur; et cum illo Hippolyti loco causam apertis verbis iuvenem indicantem facere poeta iure, quod animus Hippolyti concitatior erat et nutrix eum persequebatur, supersederit, hoc loco nihil impedit, quin Iocasta accuratius causam adeundi probet. Ergo in Medea poeta causam accurate indicat, in Hippolyto accurate indicare non potest, in Phoenissis non vult. Nam cum haec fabula acta est, eo tempore omnes spectatores iam sciebant, qua causa commota persona, quae elementa invocaret, in scaenam veniret.

At rectene Euripidem hanc causam repperisse suspicati sumus?[2]) Electra Sophoclea v. 86 monodiam incipit ab his verbis:

---

1) Cf. Accii Phoen. fr. I p. 244 Ribb.

2) Recte me intellegas quaeso: Nequaquam omnium poetarum Graecorum contendo primum Euripidem hanc causam adhibuisse, quae iam Homero non erat ignota (cf. e. g. Il. A 35, Od. β 260, μ 333, quibus locis personae ut deos invocent locum secretum petunt), sed quaeritur, quis tragicorum eam primus sibi adoptaverit artique tragicae reppererit.

ὦ φάος ἁγνὸν
καὶ γᾶς ἰσόμοιρ' ἀὴρ, ὡς μοι
πολλὰς μὲν θρήνων ᾠδάς,
πολλὰς δ' ἀντήρεις ἤσθου
στέρνων πλαγὰς αἱμασσομένων,
ὁπόταν ὀνοφερὰ νὺξ ὑπολειφθῇ . . .

Codicis Laurentiani scholium hanc sententiam de his verbis profert: „. . . ἐπεὶ δὲ ἀηθές ἐστι πρὸς τοὺς θεατὰς ἢ πρὸς ἑαυτὴν ταῦτα διαλέγεσθαι, ὡς ἀπομεμφομένη τοῖς θεοῖς ἢ μάρτυρας τῶν θρήνων καλοῦσα πρὸς τὰ στοιχεῖα ποιεῖται τὸν λόγον". Eadem ratione Wolffius, Wilamowitzius (Herm. 18, 215: „Sie tritt auf, den Elementen ihre Leiden zu klagen . . ."), Wolterstorffius hunc locum intellegunt. Apparet igitur Sophoclis quoque fabulam exhibere personam elementis miserias conquerentem. Sed unus hic locus est apud Sophoclem; et quod iam inde concludi posse videtur, comparatis locis Electrae et Medeae confirmatur: Sophocles non iam accurate causam indicare debet[1]), ergo Euripidem sequitur[2]).

Hanc novam atque inauditam rationem aditus probandi statim a poetis arreptam esse et usurpatam praeter Sophoclis exemplum supra allatum ostendunt scholia, siquidem inde, quod horum locorum καλὴν μίμησιν laudant (v. schol. Med. 57), in hac ratione aditus probandi nihil inusitati scholiastas sensisse colligi potest; atque apertis verbis tragicos hac causa usos esse scholium Phoen. 1 testatur. Quid? Nonne habemus Aristophanis praeclarum testimonium? Qui initio Ecclesiaz. Praxagoram ridicule hoc exordium detorquentem inducit, cum non solem, sed lucernam, quam portat, alloquitur:

Ὦ λαμπρὸν ὄμμα τοῦ τροχηλάτου λύχνου
κάλλιστ' ἐν εὐστόχοισιν ἐξηυρημένον.

1) Quod quamvis parvum esse indicium temporis fabulae Sophocleae puto.

2) In Eur. El. v. 54 „nox atra, stellarum nutrix aurearum" invocatur, sed affectus non est causa prodeundi; Electra enim aquatura procedit urnam secum portans.

Ex explicatione vetere huius loci colligitur (ὑποπτεύεται δὲ ὁ ἴαμβος ἤ τοῦ Ἀγάθωνος ἤ τοῦ Δικαιογένους) tragici locum rideri (Nauck fr. ἀδέσποτον 50). Deinde fragmentum tragici Theodectis (fr. 10):

ὦ καλλιφεγγὴ λαμπάδ' εἰλίσσων φλογὸς
Ἥλιε, ποθεινὸν πᾶσιν ἀνθρώποις σέλας,
εἰδές τιν' ἄλλον πώποτ' εἰς οὕτω μέγαν
ἐλθόντ' ἀγῶνα καὶ δυσέκφευκτον κρίσιν;

huc afferri debet.

Denique multis locis demonstratur eam causam a poetis post Euripidem in numero argumentorum poeticorum habitam esse. In epico quoque genere, in quo iam inde ab Homero soliloquia non inusitata erant, huius Euripidis inventi vestigia apparent; nam cum apud Homerum Achilles matrem vel Iovem invocet, personae post Euripidem epicae aëri circumfuso vel naturae miserias queruntur. Omnino in omnibus litterarum generibus tales loci occurrunt. Quorum contulerunt nonnullos Rohde, hist. fab. roman. II 168 adnot. 1 et Leo GGN 1898 p. 747 idemque in Qu. Pl.[2] p. 151. Paucos addere liceat: Catull. 64, 164, Propert. I, 15, 9—13, Ovid. Metam. III, 441; VII, 179—198; X, 11, Moschi III, 1.

Ciceronis locus Verr. 5. 67, 171 . . .„si in aliqua desertissima solitudine ad saxa et ad scopulos haec conqueri ac deplorare vellem . . .“ nescio an non forte de ratione tragica commonefaciat. At certe eam Cicero recordatus est, cum epistolam ad Att. I, 18 scriberet, in qua postquam sibi amicum familiarem deesse conquestus est, „abest“, inquit, „frater ἀφελέστατος et amantissimus. Metellus non homo sed litus et solitudo mera“. (cf. Vergil. Georgic. IV, 464.) Quae verba non iure Ribbeckius in fragmenta incertorum poetarum tragica (LXXXIV) inseruit (p. 298).

Tales loci poetarum maxime eorum temporum, quae hellenistica viri docti dicere solent, nobis ingenium nostrorum temporum sapere videntur (cf. Rothstein. ad Propert. I, 18, 1 ss.), scilicet ingenium illorum temporum propinquum

est nostris: aeque enim atque poetae illi antiqui nos naturam animamus ut ita dicam, motus animi naturae credimus, natura quasi amici alloquium solatio est animis dolorum plenis. Itaque etiam in litteris Germanicis loci Euripideis simillimi inveniuntur. Ex eis notatu dignus, quia ingenium et πάθος tragoediae Euripideae eo optime puto illustrari, qui apud Klingerum in fabulae quae inscripta est „Sturm und Drang" III. act. 2. scaen. vers. fin. legitur:

Wild: „Nun, so behüt' Euch der Himmel, ich will meine Seele in die Lüfte ausgießen. (Ab.) [Paulo enim ante eam quam amat et diu quaesivit recognovit.]

III. 8. Karoline [quae amatorem invenit.]: (Das Fenster aufmachend)] „Nacht! stille Nacht! laß Dir's vertrauen! Laßt's Euch vertrauen, Wiesen! Täler! Hügel und Wald! Laß Dir's vertrauen, Mond und all Ihr Sterne! . . ."

cf. etiam Goethii carmen: „Verschiedene Empfindungen an einem Platze" et Guil. Raabe egregium carmen, quod paene religionem spirat:

„Wenn über stiller Heide
des Mondes Sichel schwebt,
mag lösen sich vom Leide
Herz, das im Leiden bebt.

Tritt vor aus deiner Kammer
und trage deinen Schmerz,
trage des Weltlaufs Jammer
der Ewigkeit ans Herz! . . ."

Iam eo redeamus, unde digressi sumus. Omnes poetarum post Euripidem loci, quos attuli, quam maxime ostendunt versus Euripidis omnium in mente haesisse. Itaque quia haec causa adeundi ita increbruit, non permirum est, quod comici quoque poetae eam usurpabant. Apud Menandrum invenimus iuvenem prologum Epicleri fabulae incipientem his verbis[1]) (fr. 164):

1) Casu nobis etiam exordium versionis latinae Epicleri traditum est, quam Turpilius confecit (Epicleri fr. I Ribb.):
Stephanio: „Quaeso edepol, quo ante lucem te subito rapis,
Ere, cum uno puero?" Phaedria: „nequeo esse intus, Stephanio."

ἄρ' ἐστὶ πάντων ἀγρυπνία λαλίστατον.
ἐμὲ γοῦν ἀναστήσασα δευρὶ προάγεται
λαλεῖν ἀπ' ἀρχῆς πάντα τὸν ἐμαυτοῦ βίον.

Quis est, qui his verbis quicquam inesse, quod veritatem egrediatur, non sentiat? Iuvenis, cuius animus tantopere perturbatus est, non narrat ἀπ' ἀρχῆς πάντα τὸν ἑαυτοῦ βίον. Quod haec ratio ita adhibita comoediae non apta erat, Philemo poetas, qui talia scripserunt iure vituperavit[1]): Mercator. 3 ss.

„non ego item facio, ut alios in comoediis
vi vidi amoris facere, qui aut nocti aut die
aut soli aut lunae miserias narrant suas:

Stephanio: „Quid ita?" Phaedria: „Ut solent, me curae somnio segregant
Forasque noctis excitant silentio."
Ribbeckius recte adnotat: „Initium Menandreae fabulae cognominis ita imitatus est Turpilius, ut servi Stephanionis persona inducta monologum mutaret in diverbium". Ex hoc igitur fragmento discimus Turpilium secutum esse artem Terentii, qui in nonnullis scaenis, ne unus diu loquatur, alteram personam ab exemplari Graeco alienam inducit (Andr. I, 1; Eun. III, 5 et V, 8) itaque efficit, ut narratio esse actio scaenica videatur. Sed Turpilius hac imitatione formam causae plane corrumpit, quippe quae in eo posita sit, ut semper persona, cuius aditus affectu probatur, sola in scaenam ingrediatur secum loquens.

1) Etiam causam adeundi, quam nutrix Medeae indicat, irriserunt comici. Apud Philemonem coquus ea ridicule adhibet verba (Athen. VII, 288 d):

ὥσθ' ἵμερός μ' ὑπῆλθε γῆ τε κοὐρανῷ
λέξαι μολόντα τοὔψον ὡς ἐσκεύασα.

(Fragm. 79; II, 500 Kock). Haud aliter Theognetus (Kock III fr. 1 = Athen. 104 c) Medeae locum ad cachinnos excitandos usurpavit:

πεφιλοσόφηκας γῆ τε κοὐρανῷ λαλῶν
οἷς οὐδέν ἐστιν ἐπιμελὲς τῶν σῶν λόγων.

Cf. etiam Pherecratis fr. 193, qui Soph. El. v. 86 ss. ludificatus est.

Num comici perperam iudicaverunt, cum illum Medeae locum iocis improbarent? Nutrici potius sermo humilis atque plebeius convenit, qui nequaquam ad tragoediam non quadrat; neque enim vis effectusque fabularum Aeschylearum custodis in Agamemn. vel nutricis in Choephor. verbis imminuitur.

quos pol ego credo humanas querimonias
non tanti facere, quid velint, quid non velint...“

His versibus etiam Menandrum reprehendi praeter fr. 164 docet fr. 739:

ὦ νύξ, σὺ γὰρ δὴ πλεῖστον Ἀφροδίτης θεῶν
μετέχεις μέρος . . .

(cf. Merc. v. 4 „vi vidi amoris facere, qui aut nocti aut die . . . miserias narrant suas“.)

Sed nemo πάθος illud Euripideum inepte adhibitum esse iudicabit loco Adelph. 789; Demea postquam Ctesiphonem intus helluantem vidit, magno luctu et desperatione affectus ex aedibus in plateam prorumpit clamans:

„ei mihi, quid faciam? quid agam, quid clamem aut querar?
o caelum, o terra, o maria Neptuni!“ . . .

Menander hoc loco, quo pater de salute filiorum, postquam etiam eum, quem frugi esse putabat, esse corruptum sensit, plane desperat, consulto spectatores de grandi illo exordio Euripideo commonefacere voluit. Hoc loco poetam non verbis senem dicentem facere potuisse se affectu commotum esse, ut exisset, consentaneum est; nimia diligentia molesta esset et πάθος ea re omnino esset deletum; itaque Menander causam eadem subtili arte atque Euripides in Hippolyto omisit[1]).

Sed comoediae, — nisi risus excitare studet, — perraro in hunc modum assurgere licet. Commode igitur evenit, quod huius adeundi causae velut varia species, quae non tragoediae πάθος spiret, in comoedia antiqua orta et exculta est, unde in novam comoediam pervenit. Quae quomodo nata sit, ex duobus locis Aristophaneis apparet.

Nub. 627. Socrates iratus e „phrontisterio“ suo proruit in scaenam et se unquam tam indocilem discipulum habuisse negat:

1) Nescio an etiam verba, quae in Disc. 434 leguntur:
Τίς ἂν θεῶν τάλαιναν ἐλεήσειέ με;
huc pertineant.

μὰ τὴν ἀναπνοήν, μὰ τὸ χάος, μὰ τὸν ἀέρα,
οὐκ εἶδον οὕτως ἄνδρ' ἄγροικον οὐδένα ...

Etiam Kockius in praef. § 45 affectum quamquam Socrates id non verbis dicit causam prodeundi esse intellexit: „Denn im Ärger über die Erfolglosigkeit ⟨des Unterrichts⟩ stürzt Socrates fluchend aus dem Hause", idem in § 47 iram Socratem ex aedibus expulisse dicit (... „an den verzweifelten Ausbruch des Unwillens, der den Socrates aus dem Hause trieb"). Hoc primo apud Aristophanem loco aditus probatur affectu.

At fortasse mihi obicias, ea re, quod philosophus non iam deos vel elementa invocat, sed per eos iurat, maxime hunc locum ab Euripide differre; assentior; at mihi discrimen non magnum esse videtur; nam scholio Laurentiano ad Soph. El. loc. supra allato hanc formam aditus non in ea re positam esse demonstrari censeo, quod dei vel elementa casu vocativo invocantur, — quod plerumque fit, — sed quod testes dolorum fiunt; testantur autem et invocatione et iure iurando.

Alter locus Aristophaneus est Vesp. 1474. Servus quidam ex aedibus proruit cum clamat:

νὴ τὸν Διόνυσον, ἄπορά γ' ἡμῖν πράγματα
δαίμων τις ἐσκεκύκληκεν ἐς τὴν οἰκίαν.

Maxime commotus est amentia Philocleonis. Etiam Leeuwenus, qui causas adeundi ferme neglegit, hoc loco servum affectu adductum egredi putare videtur: „Sosias cum magna animi conturbatione foras proruit". Hi versus pristinam formam huius introitus valde infirmatam praebent: Nulla iam mentio elementorum; Aristophanes, qui in Nubibus[1]) Socratem per elementa, quos deos esse putat, iurantem fecit, hoc loco deum, cuius dies solemnis celebratur, pro Socrateis deis supposuit. Hoc modo conformata iam ingenio et rationi comoediae haec causa adaptata erat.

1) Utrum locus priorum an posteriorum Nubium sit, mihi non constat.

Hanc formam infirmatam in nova comoedia saepius quam formam tragicam usurpatam esse consentaneum est. Ea forma comica, cuius sonus apud Aristophanem ut ita dicam paene scurrilis est, non nullis locis motione affectuque animi tragico impletur, qua omnium commoventur animi: talis est locus Discept. v. 487 ss., quo Charisius egreditur in scaenam verba secum loquens, e quibus maxime eum paenitentia torqueri apparet. Etiam verbis sollicitis et anxiis Cliniae (Heautontim. 230) nihil inest, quod risum moveat.

Magis comicam habet vim πάθος illud paenitentiae in Bacch. 612 ss., quo loco Mnesilochus exit maestus, quod Pistocleri amici tam parum cognoverit animum — et quod aurum patri reddiderit omne.

In hunc modum non numquam in magno discrimine, quod interest inter personarum perturbationem et causam qua tantopere commoventur, vis comica posita est, quae necessario audientium risus excitat:

In Discept. 165 servus Charisii Onesimus in scaena conspicitur; queritur, quod coquus intus tam segniter opus suum conficiat.

Initio actus insequentis (v. 202) idem secum loquens se identidem anulum a Syrisco acceptum Charisio demonstraturum fuisse, sed nihil profecisse narrat.

In v. 384 aliquis, — puto eum coquum esse, — exit, qui ποικίλον ἄριστον, quod intus sit, lamentatur.

In v. 432 Abrotonum prodit sollicita et dubia, quid faciat, quod infans misere flet, neque scit, quo malo laboret.

Andr. 175. Davus domo exit perturbatus, — imagine codicis Leid. Vossiani 3817 Davus perturbatus et brachia iactans depingitur (cf. Bethii ed. 1903 Lugduni p. XLIX) — quod nuptiae Pamphili tam subito apparentur.

Hae personae — fere infimae sortis — casibus vitae suae cotidianae inanibus temere concitantur; in his scaenis idem ingenium quod in illa Nubium scaena spirat.

Non tantopere commotus exit Aeschinus Ad. 899, morae impatiens, quod nuptiae nimis diu apparentur.

Interdum impetus animi etiam diu praeteriit atque paululum tantum velut resonat:

Bacch. 770. Nicobulus domum relinquit; aegre fert se Chrysalum punire non posse. Notari autem oportet eum iam ante v. 530 ut Chrysalus impunis foret concessisse.

Eun. 81. Thais domo procedit et dicit se timere, ne Phaedria aegre tulerit, quod heri non intromissus sit.

Cunctos locos quos huc usque attuli cum perlustramus, ea re persimiles esse cognoscimus, quod personae semper re gravi ac molesta perturbatae foras exeunt, nusquam gaudio elatae sunt. Licet affectus huius introitus quantumvis imminutus sit, Menander et Euripides hac re inter se non differunt. Quae similitudo non in electione tantum locorum, quod suspicari possis, posita est. Perpauci exstant loci, quibus laetitia homines aedes relinquere coguntur. Apud Menandrum novi hunc unum, atque is aliqua re dissimilis est locis allatis: Eun. 1031. Chaerea in plateam proruit et gaudio exsultans universis popularibus enuntiat fortunam. Omnibus quos adhuc attuli locis homines causam perturbationis animi naturae enarrant, hoc loco iuvenis res secundas cum hominibus communicare cupit. Quare cognoscimus, cur tam raro laetitia sit causa adeundi: homines laeti non solitudinem, sed homines quaerunt, quibus fortunam nuntient.

Iam satis de Menandro. Ex Philemonis locis nihil novi addiscimus:

Mercator. 700. Dorippa exit; adulterium viri se detexisse rata queritur miseriam suam. Versibus Disc. 165 s. simillimum est fragm. 123: Aliquis coqui qui intus est dementiam lamentatur. Tales scaenae, in quibus aliquis intus egressus de ratione moribusque coqui intus versantis narravit, persaepe videntur in fabulis Graecis

exstitisse, e. gr. praeter hos locos Pseudol. 956 et Stratonis fr. 1 [1]).

Unus locus, quo aliquis gaudio elatus ex aedibus prodiens deos invocat, apud Diphilum legitur: In Rud. v. 1191 Daemones verbis [2]): „Pro di immortales" deos testes rerum secundarum invocat. Deinde Trachalionem, qui ab eo ad forum ire iussus est, nondum exisse miratur. Qui postquam in scaena apparuit, Daemones omnia, quae ei mandaverat, repetit.

1) Stratonis fragmentum ex Phoenicide servatum ab iisdem verbo tenus versibus exorditur, quibus Philemonis locus.

2) De hac scaena IV, 5 quia Leo iudicavit: „scaena non videtur genuina esse, scripta fortasse, ut sequens decurtari possit", eam genuinam esse ostendamus necesse est. Profecto concedendum est hunc locum multa praebere, quae solitam rationem excedant: nusquam alias in fabulis Plautinis reperiri potest quemquam post aliquot verba in scaena dicta introrsus spectare et loqui. Imprimis autem locus singularis est mira coniunctione formarum Euripidearum, quas nova comoedia assumpsit: 1) affectus causae adeundi, 2) praenuntiationis personae quae miro modo tardius venit (1201 „nondum egressum id miror tamen, cf. infra pag. 49 ss.; 3) negotii in scaena dati (cf. p. 44 s.). Eo quod poeta has formas in unum omnes locum congessit, scaena prorsus incondita facta est. At cum eiusmodi res, quae aperte inter se discrepent, in his scaenis IV, 5 et IV, 6 non leguntur tum accuratius exquisita scaena IV, 6 revera nihil obvenit dignum quod propterea inducatur, quia post scaenam IV, 5 nimis copiose et inepte dictum sit. Nil enim in utraque scaena dicitur nisi Plesidippum Atheniensem cognatumque Daemoni esse. Immo scaenam IV, 6 propter iocum, qui vocabulo „licet" perpetuo iterato efficitur, in deliciis plebeculae fuisse puto. Accedit, quod scaena IV, 5 retenta tres actus Rudentis a soliloquio Daemonis exordium faciunt (593, 892, 1191), quod ex certo consilio poetae ortum esse videtur. Porro quadam arte Diphilum fabulam ita composuisse arbitror, ut huius actus initium faciat Daemones vir pius probusque itaque rerum secundarum nunc particeps verbis: „Pro di immortales! quis me est fortunatior . . .?", actus autem insequens exordiatur a Labracis lenonis sacrilegi verbis: „Quis me est mortalis miserior, qui vivat alter hodie . . .?" Duo igitur exordia inter se respondent et facta sunt, ut iustitiam deorum demonstrent. Talem compositionem in aliis quoque scaenis Rudentis Leo (Qu. Pl.² 157) observavit. Itaque ad iudicium Marxii (Wien. Sitz.-Ber. 1899, p. 20), quamvis rationes non attulerit, accedendum esse puto.

Quod ad unicum apud Apollodorum locum attinet, Phorm. 728, quo Sophrona magnopere perturbata atque consilii inops ex aedibus prosilit, nobis imagine codicis cuiusdam (Bethe p. 117 v.) actionem histrionum notam esse gaudemus. Qua in imagine nutrix quam maxime concitata porrigit brachia in latera. Apparet probum histrionem et hoc et similibus locis causam, quae deesse videtur, quod verbis non dicitur, actione quasi compensare potuisse.

Agmen claudat fabulae anonymae locus: In Trucul. v. 322 Diniarchus cum intus in aedibus Phronesii diutius ei durandum fuerit, dum meretrix lavat, impatiens morae egreditur (cf. Adelph. 899).

Itaque ut paucis, quae nobis de hac causa erui posse videantur, complectamur, causa ab Euripide inventa et ad graves et molestos animi motus affectusque adhibita, ab Aristophane grandi dicendi genere amoto comoediae adaptata, a comicis interdum ad aliud genus affectuum translata est. Ab Euripide perraro usurpata apud Menandrum saepe invenitur: atque eo crebrius comicus ea usus est, quo plures fabulae res non in scaena, sed intus gestae sunt; cuius rei clarum praebet exemplum Discept. fabula, ex cuius fragmentis sex locos supra attuli [1]).

b. Eum qui huc usque hoc opusculum legerit, non effugisse puto locum Mercat 588 ss. supra allatum aliqua ratione differre a plerisque de quibus disputavi locis tragoediae et comoediae. Charinus enim non solitudinem quaerit, sed inquiete animi in alium locum ex alio pellitur. Ea causa introitus, quae sine dubio ex egregia quadam animi humani observatione orta est, non magis comici est inventum quam illa quam proximo loco tractavi. Etiam haec ex tragoedia Euripidea in comoediam translata est:

Hippol. 176. Phaedra languida in lecto iacens a nutrice ex aedibus portatur, quod animi perturbatio eam

1) cf. Leo, Monolog. p. 39 adnot. 1.

quietis impatientem modo sub divum agit, modo in penetralia regiae reverti cogit: v. 179 ss.

ἔξω δὲ δόμων ἦδη νοσερὰς
δέμνια κοίτης.
δεῦρο γὰρ ἐλθεῖν πᾶν ἔπος ἦν σοι ,
τάχα δ' ἐς θαλάμους σπεύσεις τὸ πάλιν.

Etiam apud Aristophanem locus invenitur, quo inquies animi causa adhibetur prodeundi, sed vestigia imitationis manifestiora sunt, quam ut revera dubitari possit an ingenium Euripidis acutum ad excogitandum eam causam non reppererit:

Lys. v. 708. Lysistrata exit et choro mulierum interroganti

706. ἄνασσα πράγους τοῦδε καὶ βουλεύματος,
τί μοι σκυθρωπὸς ἐξελήλυθας δόμων;

respondet:

κακῶν γυναικῶν ἔργα καὶ θήλεια φρήν
ποιεῖ μ' ἄθυμον περιπατεῖν τἄνω κάτω.

En habemus locum mere tragici coloris. Et profecto scholia adnotant ad verba v. 706 ἄνασσα πράγους: ἐκ Τηλέφου Εὐριπίδου. Eo plerique critici commoti sunt (Valckenaer., Dindorf., Blaydes.). ut versus 706/7 Euripidi attribuerent. Sed Nauckius nescio qua re adductus solum versum 706 ex Euripide sumptum esse (fr. 699) putat, alterum versum fragm. adesp. 58 esse voluit. Immo totus locus, 706—709 et cet. vers., tragoediam Euripideam sapere videtur[1]). fortasse paucis mutatis ex Euripidea Telepho vel alia fabula translatus ut irrideatur[2]).

1) cf. H. Beyer, De scaenis comoediae Atticae veteris, quibus, quae ad actionem spectant, narrantur. non aguntur, Gottingae 1912, p. 27.

2) Nescio an non loco Alexidis ex Meropide servato (Kock II, 147):

εἰς καιρὸν ἥκεις, ὡς ἔγωγ' ἀπορουμένη
ἄνω κάτω τε περιπατοῦσ' ὥσπερ Πλάτων
σοφὸν οὐδὲν εὑρεῖν, ἀλλὰ κοπιῶ τὰ σκέλη

praeter irrisionem Academicorum imitatio vel cavillatio eiusdem loci Euripidei insit.

c. Non minus quam inquiete animi depingenda Euripides subtilem animi humani notitiam praestabat ea re, quod homines, qui tota mente aliquid secum reputant, secretum locum petere observabat.

Ea causa Bellerophо in Stheneboeae prologo [1]) adducitur, ut procedat (cf. Leo, Monolog. p. 20). De vita humana in genere meditatus generalem quam dixit sententiam ad Proeti hospitis condicionem adhibet [2]).

Similes contemplationes pronuntiantes in Philemonis fabulis personae exeunt:

In Most. v. 84 Philolaches cogitationibus deditus in scaenam vacuam egreditur; generalem de disciplina aedificio comparanda sententiam (v. 84 ss.) sua ipsius vita illustrat (v. 132 ss.) [3]). Eodem fere modo Lysitelis canticum Trin. 223 compositum est.

Cum hi duo loci sint monodiae, in quibus Plautus saepe suum ingenium suamque sollertiam exercuit, quaerendum est, num his locis Philemo nobis agnoscendus sit. At scaenarum conexu ostenditur etiam in fabulis Graecis his locis iuvenes — nimirum non tacitos — prodisse. Quorum soliloquia Plautus cum in monodias commutaret, ad quas tales deliberationes maxime idoneas esse et per se patet et simili loco Amphitr. infra allato demonstratur, pro consuetudine auxit et amplificavit [4]).

Hanc causam Menander uno loco, de quo nonnulli viri docti disseruerunt, sibi adoptavisse videtur. In Ad. enim v. 855 Demea egressus aeque atque personae a Philemone inductae primo sententiam de vita humana generalem dicit, deinde eam ostendit ad se quoque per-

1) Qui in Mus. Rhen. vol. 63 pag. 147 typis expressus est.

2) Tales meditationes etiam in Heraclidarum et Philoctetae Eurip. prologis exstant, sed non sunt causae prodeundi.

3) Haec dispositio etiam aliis locis, quibus personae alia de causa progressae in scaena meditantur, persaepe invenitur. Cf. Leo, Monolog., p. 75—78.

4) Accuratius de his locis disputavit Leo, hist. literar. pag. 111 ss. et 116 s.

tinere. Iis quae de hoc loco Dziatzko (praef. ed.[1] p. 4) protulit, Menandrum post V, 3 Demeam non scaenam relinquentem fecisse atque causam exeundi in scaena V, 4 omnino deesse, viri docti commoti sunt, ut causam aditus curarent. Nencinius p. 142 Demeam cum „ab domo sua et opere rustico longe absit, uno loco otiosum consistere nequire“ dicit; quae causa longius arcessita est, quam ut veri similis videri possit. Spengelium autem cum Demeam exire opinatur, quod ei convivae maxime citharistria displiceant, neglegere puto Menandrum vel Terentium vix talem occasionem morum describendorum praetermissurum fuisse. Immo Demea rebus in scaena modo gestis adductus, ut de fratris et de sua ipsius ratione vitae cogitet, in scaena vacua melius quam in convivio cogitationibus se dare potest. Praeterea iam structura sententiarum proditur causa adeundi.

Fabularum anonymarum huc pertinent duo loci:

In Epid. (v. 382) Periphanes aeque atque adulescentes, quos Philemo finxit, in scaenam prodit secum reputans de hominum et sua ipsius condicione.

In Amphitr. 633 Alcumena quam expers voluptatum in genere sit vita humana deliberat, quod dictum sua vita probat. Hoc canticum etsi Leonem secuti (Nachr. der Kgl. Gesellsch. der Wiss. Gött. phil.-hist. Kl. 1911, p. 256) Plautum ipsum paucis in exemplari Graeco versibus usum fecisse putamus, tamen exemplis apud Philemonem et Menandrum et in Epidico similibus ostenditur causam profectam esse ex fabula Graeca; in qua quot versuum soliloquium fortasse fuerit, exemplum Epidici docet[1]).

d. Etiam in metu causa aditus depingenda Euripides velut magister comicorum fuit. Non quo poetae ante

1) Etiam cocus, qui in Alexidis fr. 186 loquitur, et iuvenis philosophus, cuius verba sunt fr. adespot. 104, solitudinem petiverunt, ut cogitationibus se darent. Sed qua ratione haec fragmenta cum Euripide cohaereant, non apparet.

Euripidem metu causa prodeundi uti nescierint; nam Aristophanes in Ach. 176 et Nub. 1321, quas fabulas ante eam fabulam Euripideam, de qua agitur, composuit, personas timore perturbatas in scaenam induxit; et Aeschylum Euripidis exemplar fuisse infra ostendam. Sed eam formam exordii talium scaenarum, quam Euripides invenit, comici secuti sunt.

Primus Aeschylus personas metu intus in scaenam fugientes fecit, ut quae intus vidissent, narrarent. In Choeph. v. 875 servus ex andronitide procurrit morte Aegisthi perterritus et dominum necatum esse choro et Clytaemestrae nuntiat. In Eum. 34 sacerdos pavore exanimata manibusque gradum titubantem adiuvans ex templo prodit atque quod horribile spectaculum intus viderit enarrat.

Euripides, qui hanc causam etiam aliter adhibuit (Ion. 1250), ea aeque atque Aeschylus usus est, ut aditum exangeli probaret. Cum Sophoclei exeant exangeli (Antig. 1278, Oed. reg. 1223, Trach. 871), ut chorum de rebus intus gestis certiorem faciant, Euripides rursus Aeschyli vestigia pressit; sed magistrum corrigere conatus affectu timoris non solum utitur causa adeundi, sed metum omnibus verbis universaque narratione exangeli effingere studet: Phryx Euripideus metu atque pavore tantopere perturbatus et concitatus est, ut omnino quo fugiat ignoret:

Or. 1375 αἰαῖ· πᾶ φύγω, ξέναι,
πολιὸν αἰθέρ' ἀμ-
πτάμενος ἢ πόντον, Ὠκεανὸς ὃν
ταυρόκρανος ἀγκάλαις ἑλίσ-
σων κυκλοῖ χθόνα;

Deinde choro res intus gestas exponit.

Hanc scaenam Orestis comici imitati sunt[1]). Bromia in Amphitr. v. 1053 ex aedibus procurrit et metu exani-

1) Vide Leonis Qu. Pl.[2] pag. 133. — Fraenkelius p. 50 recte Olympionem in Casina et Bromiam in Amphitruone metu in scaenam fugientes contulit cum Phryge Euripideo.

mata exclamat: „me miseram, quid agam nescio“, deinde exangeli munere fungitur.

In Casin. v. 875 Olympio in scaenam fugit omnino inscius. „quo fugiat“ et „ubi lateat“ et „hoc dedecus quo modo celet“. Deinde sua „facta iterat“.

Eiusdem fabulae similis scaena est v. 621 ss. Pardalisca se metu perterritam et trementem in scaenam irruere fingit paratragoedans:

...„nescio unde auxili, praesidi, perfugi
mi aut opis copiam comparem aut expetam.“

Id est: Pardalisca personas Euripideas imitata metu commoveri videtur, ut exeat, re vera missa est (688), ut Lysidamum ludat[1]).

In brevius contracta haec forma invenitur in Hecyra Terentiana. In v. 516 Myrrhina anxia procurrit: „Perii, quid agam? quo me vortam?...“ Deinde paucis res gestas edocet spectatores.

Euripidis Orestem contulisse ad formam fabularum comicarum nemo miratur, qui τὸ δρᾶμα τῶν ἐπὶ σκηνῆς εὐδοκιμούντων (cf. argum.) fuisse scit. (Vide Philol. 60, p. 440 ss.)

e. Deinde cum concitatiore animi habitu personarum ab Euripide inductarum cohaeret, quod personae, si quem venturum esse exspectant, non domi remanent, sed in scaenam egressae, num persona exspectata adveniat, provident. At talis locus apud Aristophanem ante unicum locum Euripideum invenitur:

Av. 1118. Pithetaerus sacrificio intus peracto foras redit exspectaturus, num nuntius, qui de moenibus aedi-

1) Itaque quod neque causa simulata neque causa vera, quarum neutra talibus locis deesse solet, desideratur, omnia plana essent, nisi miro modo Pardalisca v. 679/80 se missam esse profiteretur, ut Lysidamo diceret, ut a Casina caveret. Cum haec verba imitationem scaenarum, in quibus exangeli prodeunt, perturbent et eis inductis colloquio nihil desit, a Plauto, qui etiam alias causam genuinam et causam a se ipso inventam male coniunxit (vide p. 64), causam v. 679/80 inconsulte additam esse puto.

ficatis referret, advenerit. Verba Pithetaeri afferam necesse est propter formam exordii:

τὰ μὲν ἱερ' ἡμῖν ἐστιν, ὄρνιθες, καλά·
ἀλλ' ὡς ἀπὸ τοῦ τείχους πάρεστιν ἄγγελος
οὐδείς, ὅτου πευσόμεθα τἀκεῖ πράγματα.

Apud Euripidem haec causa prodeundi exstat loco Iph. Aul. 1098: Clytaemestra ex aedibus egreditur, ut Agamemnonem exspectet:

ἐξῆλθον οἴκων προσκοπουμένη πόσιν,
χρόνιον ἀπόντα κἀκλελοιπότα στέγας.

Alter locus Aristophaneus est Eccl. 877, quo anus ex fenestra viros exspectat:

τί ποθ' ἄνδρες οὐχ ἥκουσιν; ὥρα δ' ἦν πάλαι.

Uter poeta prior fuerit locorum formam si spectes, indagari non potest; neque enim loci Aristophanei ullum vestigium parodiae praebent, et Euripidei versus apertis verbis causam indicant, id quod, si hanc causam sive in scaena tragica sive comica spectatores audire iam consueverant, fieri non opus erat. Hanc igitur quaestionem in dubio relinquamus et inquiramus, quomodo Menander ea causa usus sit:

Heautontim. 879. Chremes dum cum uxore introrsus loquitur[1]), exit. Deinde in scaena ipsa ei in mentem venire videtur Clitiphonem et Syrum nondum ex aedibus Menedemi redisse. Haec sunt eius verba:

„Ohe iam desine deos, uxor, gratulando obtundere
tuam esse inventam gnatam; nisi illos ex tuo ingenio iudicas,
ut nihil credas intellegere, nisi idem dictumst centies.
sed interim quid illic iamdudum gnatus cessat cum Syro?"

Qui versus manifesto eandem formam exhibent, quam

1) Haec forma introrsus loquendi, quam poetae novae comoediae sescentis locis adhibuerunt, ex comoedia vetere oritur: In Acharn. v. 1003 Dicaeopolis dum propter praeconium exit, introrsus cum servis et mulieribus loquitur atque negotia mandat. Hic unus locus in comoedia vetere exstat.

Aristoph. Av. v. 1118 ss.; nam primo spectatores paucis de rebus intus gestis certiores fiunt, deinde vocula ἀλλὰ persona, quae exiit, se ad eam rem, qua commota prodiit, revocat et miratur, curnam is, quem exspectat, nondum adsit. Qua similitudine locorum facile adduci possumus, ut comoediam veterem novae comoediae exemplo fuisse vel potius hanc causam ex comoedia vetere per mediam fluxisse in novam putemus. Quae suspicio confirmatur loco Diphileae Rudentis comparato:

Rud. v. 892. Daemones exit secum loquens, primo se gaudere dicit, quod duas scitas clientulas domi habeat, postea miratur piscatorem Gripum, qui servus eius est, morari tam diu:

v. 892 „Benefactum et volup est me hodie his mulierculis
Tetulisse auxilium . . .
897 Sed Gripus servus noster quid rerum gerat,
Miror, de nocte qui abiit piscatum ad mare".

Ergo hanc in fabulis novae comoediae causam non ex Euripide fluxisse arbitror.

Duo praeter Heautontim v. 879 ss. loci, quibus Menander exspectatione utitur causa adeundi, Heautont. v. 614 (619) et Ad. 889, prorsus diversa ratione instituti sunt[1]).

1) Haec causa post Menandrum multo saepius videtur usurpata esse: Truc. 669, Casin. 538. 591. 855, Men. 704, Epid. 607, Phorm. 606. Quorum locorum nonnulli inter se congruunt. Conferas enim quaeso

Men. 704:
„provisam quam mox vir meus redeat domum.
sed eccum video".

Phorm. 606:
„Exspecto quam mox recipiat sese Geta.
sed patruom video cum patre astantem".

Ad. 889:
„Era, ego huc ad hos proviso, quam mox virginem
accersant. sed eccum Demeam. salvos sies".

Eandem formulam omnes tres exhibent loci: „proviso quam mox . . ." Deinde versus quos ex Phorm. et Adelph. attuli, cum loco Epidic. 607 s.

CAPUT II.

De locis, quibus duae personae simul in scaenam ingrediuntur, disputatur.

Viri docti artem Sophoclis cum genere effingendi, quod in ectypis Parthenonis observamus, facete comparaverunt. Quem ludum si persequi velimus, nescio an cum imaginibus, quae sunt in muro quo templum Victoriae circumdatum est, componendus sit Euripides, cuius tragoedia est plena motus et actionis. Eam similitudinem in actione scaenica fabularum spectatoribus Atheniensibus etiam manifestiorem fuisse puto quam nobis legentibus. At tamen nos quoque observatione, quam vivida actio fuerit, cognoscimus, quod praesertim ex iis locis apparet, quibus duas personas poeta simul in scaenam prodeuntes inducit.

a. Duae personae eo modo in scaenam intrare possunt, ut altera persona propositum aliquod exsequatur vel fugiat, altera alteram impedire velit, ne propositum conficiat, vel alteram personam persequatur; quae causae adeundi dissimiles sunt; actio scaenica, cum altera persona alteram subsequatur, eadem est.

Primum eius rationis in Hippol. v. 601 invenitur exemplum. Hippolytus elementis, quid audiverit, narraturus exit; nutrix Phaedrae eum subsequitur et apparet eam a iuvene impetrare velle, ut taceat. Eadem ratione Wilamowitzius hunc locum intellegit, cuius adnotatio

---

„Male morigerus mi est danista, qui a me argentum non petit neque illam adducit, quae ⟨empta⟩ ex praedast. sed eccum incedit Epidicus."

artius cohaerere videntur. Neque enim persona exspectata, sed alia a persona egressa conspicitur in scaena. Etiam in Menaechmis matrona non maritum, quem se videre opinatur, sed fratrem coniugis conspicit.

scaenica est haec: „Hippolytus stürzt aus der Palasttüre, hinter ihm die Kammerfrau, die ihn zurückzuhalten versucht".

Hoc Euripidis inventum Sophocles in Philoctete adhibuit: In v. enim 1222 Ulixes et Neoptolemus in scaenam irruunt, alter arcum Philoctetae redditurus, alter ne id fiat impediturus. Ulixes in ipsa scaena Neoptolemum assequitur. Quod scaenae exordium a more Sophoclis usitato abhorrere scholiasta aliquis recte sensit, qui ad v. 1218 adnotat: ἐντεῦθεν διπλοῦν ἐστι τὸ ἐπεισόδιον. Hoc scholium „eo spectare" Hermannus (ad v. 1219) cognovit, „quod in hac scaena non, ut plerumque, una sed duae personae adveniunt".

Hanc formam Menander, qui diligenter artem Euripidis actionem vividiorem reddentis observavit et vehementi motu personarum in scaenam irruentium exspectationem audientium suspendi optime cognovit, quasi mutuatus est in Aulul. v. 406. Congrio enim ex Euclionis aedibus fugit, quem in v. 414 Euclio subsequitur.

Etiam in Bacch. locus similis exstat: Lydus Pistoclerum, quem iamdudum tacitus secutus est, retinere conatur ne in aedes Bacchidum introeat.

Neque solus Menander hoc modo scaenas instituit, sed etiam ceteri comici: Diphilus enim initio Casinae Chalinum inducit Olympionem, qui sine arbitro loqui et cogitare vult (quasi nemo cogitare possit, nisi dum loquitur), semper sequentem; Philemonis autem in Trin. Lysiteles et Lesbonicus exeunt, quorum alter alterius verba condicionesque fugit, alter persequitur alterum (627/628). — Eiusdem modi sunt loci Apollodori Hecyr. 516 ss., Demophili Asin. 591, Captiv. 516, Curcul. 591, Epidic. 1.

b. Initio Antigonae Sophocleae Antigone et Ismene in scaena conspiciuntur: Antigone v. 18 19 se sororem ex aedibus foras sevocavisse dicit, ut secretum aliquid cum ea communicaret:

ἤδη καλῶς καί σ' ἐκτὸς αὐλείων πυλῶν
τοῦδ' οὕνεκ' ἐξέπεμπον, ὡς μόνῃ κλύοις.

Nobis quidem cum res hodiernas conferimus (cf. Kaibel. El. p. 65), causa exeundi debilis esse videtur; nam cur non melius loco secreto regiae res, quas inter se commissurae sunt, peragant? Sed Bruhnius recte ad v. 18 adnotat: „ἐκτὸς αὐλείων πυλῶν: Haus und Hof sind von einer Mauer eingeschlossen, in deren Front sich die αὔλειος θύρα zeigt, — doch wohl eine und nicht drei. Sophocles hat die Szene dahingelegt, weil es wichtig war, daß keiner der Hausgenossen außer Ismene etwas von Antigonens Vorhaben wisse . . .“

Hanc causam aditus in scaenam Wilamowitzius etiam in Euripidis fabula quadam exstitisse putavit. In commentariolo enim, quem de Phaethonte conscripsit (Herm. 18, 399), dicit: „Klymene hat sich den Sohn zum Gespräch noch vor Tagesgrauen vor den Palast bestellt, um ihm die folgenschwere Entdeckung seines Ursprungs zu machen.“ Et re vera quamquam in fabulis huius poetae nobis servatis nulla invenitur scaena ea ratione conformata, tamen ex versibus Iph. Aul. 1106 ss. concluditur Euripidem ab hac causa aditus non abhorruisse:

Λήδας γένεθλον, ἐν καλῷ σ' ἔξω δόμων
εὕρηχ', ἵν' εἴπω παρθένου χωρὶς λόγους
οὓς οὐκ ἀκούειν τὰς γαμουμένας πρέπει.

Uter tragicorum prior tale scaenae initium instituerit, a nobis quidem non iam cognosci potest. Eam postquam semel inventa est, saepius in tragoedia usurpatam esse manifestum est et fragmento, quod Nonius ex Epigonis Accii affert (fr. V p. 201 Ribb.), ostenditur:

„Eaque ivi hoc causa, ut ne quis nostra verba cleperet auribus“.

Non obsolescebat, quod eam multo aptiorem esse ad actionem vividam quam illam formam scaenarum, in qua, postquam altera post alteram personam in scaenam processit, in scaena demum paulatim diverbium quasi in-

citatur, dilucide apparebat. Qua re cognita Menander[1]) eumque secutus Demophilus in Asinaria ea ratione aditus probandi usi sunt. Sed cum nullus iam apud Menandrum locus, qui eam servatam praebeat, inveniatur, quaestione tantum eo pervenimus, ut hanc formam esse Menandream verisimiliter coniciamus. In Perinthia enim comicum eam adhibuisse arbitror; quam fabulam in prima scaena Latinae Andriae Terentium secutum esse Donatus ad v. 13 tradit. Hanc adnotationem, quam Ihnius (Quaest. Terentianae, Bonn. diss. 1843.) in controversiam vocavit, rectam esse nunc omnibus probatum esse puto: „Conscius sibi est primam scaenam de Perinthia esse translatam, ubi senex ita cum uxore loquitur, ut apud Terentium cum liberto. at in Andria Menandri solus est senex.“ Apud Terentium Simo senex cum Sosia coquo et duobus servis opsonio empto a foro redisse videtur. In Perinthia autem uxorem non a foro revertisse apparet, sed ex aedibus egressa est; at cur processit? Eam sua sponte exisse, ut virum exspectaret, non verisimile est, cum nullo loco poetae novae comoediae exspectatione ad aditum in scaenam probandum ita utantur, ut exordium fabulae inde incohetur, sed semper ea causa in actione ipsa ex habitu animi personarum rebus gestis concitato oriatur. Itaque aut a viro seducta est ad colloquium extra aedes secretum, quod poetas comicos interdum usurpavisse exemplum Asinariae docet, aut nulla causa commota in scaenam processit. Quorum utrum probabilius sit, non dubitabit, qui re vera rem secretam agi in hac scaena consideraverit. Exordium igitur Perinthiae simile erat Asinariae, qua in fabula senex Demaenetus servum Libanum secreti colloquii causa domo educit.

Unicus autem apud Menandrum locus, qui nunc eam formam exhibet, a Plauto compositus est; quem in Au-

1) Thesmophoriazusarum exordium non comparandum est, cum Euripides τὸν κηδεστὴν non seducat, ut secreto colloqui possint.

lularia familias Megadori, qui in exemplari Graeco in scaena habitabat, et Eunomiae, cuius aedes extra scaenam erant sitae quasi inter se consociavisse Dziatzko (Rh. Mus. 37) probabiliter demonstravit. Eo fit, ut Plautus in colloquio Megadori et Eunomiae, quod in v. 120 ss. legitur, non iam eadem causa prodeundi usus, quam poeta Graecus adhibuerat[1]), personas in scaenam induxerit, sed formam secreti colloquii usurpaverit.

Idem Plautus si composuit exordium scaenae III, 1 Militis (cf. Leo, Qu. Pl.[2], 181), comicos Graecos secutus colloquium ante aedes secretum (confer v. 596—610) hanc scaenam esse voluit neque nimis ab arte Graecorum aberravit[2]).

Huic formae secreti colloquii similis est ratio, qua non nullae scaenae compositae sunt, quas afferam:

Andr. 820. Chremes et Simo ex Simonis aedibus egrediuntur. Chremes in v. 789 in aedes Simonis intro ierat.

Heautont. 1003. Chremes et uxor eius Sostrata domo procedunt, dum colloquuntur.

Eun. 818. Thais et Pythias colloquentes exeunt.

Ad. 288. Sostrata et Canthara in scaenam egressae colloquuntur: quaenam causa prodeundi sit, non satis apparet; Spengelius quidem (ed.[2]) causam repperisse sibi videtur; eas ante aedes exire putat, ut exspectent, num Geta vel Aeschinus veniat. Sed revera eam causam non subesse verba ipsa colloquii docent; nam aut scriptum esset in primis statim verbis: „Exspecto“ vel „Proviso“ (Casin. v. 591, 855, Menaechm. 704) aut alia ratione primis statim verbis exspectatio manifesta fieret. (Trucul.

---

1) Dziatzko recte in v. 145 vestigium indagavit, quod quomodo res in fabula Graeca se habuerit, significat: „ted id monitum advento“.

2) Cf. etiam fragmentum ex Pomponii fabula Atellana Praecone posteriore servatum (fr. X p. 297 Ribb.):

„Ego dedita opera te, pater, solum foras
Seduxi, ut ne quis esset testis tertius
praeter nos, tibi cum tunderem labeas lubens.“

669. Mirum videtur rure erilem filium Strabacem non redisse. — Casin. 538. Miror huc iam non arcessi in proximum uxorem meam". Cf. etiam, quae supra de exspectatione exposui pag. 30 ss.) Itaque Menandrum exspectatione quam perraro causam adhibuit, ne hoc quidem loco usum esse arbitror.

Ad. 517. Ctesiphonem et Syrum in scaena videmus.

Philemonis huc pertinent scaenae: Most. 157, Trin. 729 et 1125, Apollodori Phorm. 153 et Hecyr. 577, Demophili Asinar. 504, anonymi Truc. 775, anonymi Cas. 437[1]) et 515.

Hi loci omnes eiusdem generis sunt: Duae personae colloquio iam incepto ex aedibus in scaena sitis exeunt, neque cur procedant, verbis dicitur; causa ex contextu totius scaenae vel nullo modo vel coacta interpretatione (e. gr. Spengel. ad Ad. 288.) effici potest. Eosdem locos similes esse apparet eis quos supra attuli locis ea re, quod personae ex aedibus in scaena conspectis ingrediuntur in scaenam, dum colloquuntur. Deinde in utraque scaenarum forma personae vel in scaenam vacuam incedunt, quo factum est, ut fere semper exordium actus sit, vel si scaena non est vacua, eae saltem personae, quae egrediuntur, eam vacuam esse opinantur (Most. 157, Trin. 1125, Casin. 437, Hecyr. 577 (cf. 607), Truc. 775); in Heautont. Syrus, qui in scaena antecedenti aderat, praeceps (v. 1000) se in fugam dat ero conspecto. Vacuam autem fieri scaenam locis illis, quibus personae ad secre-

1) Scaena Casin. 437 ss. paucis commemoretur necesse est, quod idoneam eam esse puto ad opinionem Leonis (Abhandl. d. Gött. Ges. d. Wiss. phil.-hist. Kl. 1, 7, 1897) confirmandam, qui versum 423 finem facere partis Diphileae contendit. Nam Olympio et Lysidamus ante hos quattuordecim versus, quod plus verborum Chalino arbitro facere nollent, se intro ire professi sunt: intus secreto collocuturi erant. Tamen nunc repente in v. 437 inter se colloquentes prodeunt, quam scaenarum formam comici adhibere consueverant in colloquiis ante aedes secretis, neque cur consilium mutaverint dicunt. Haec non cohaerere apparet itaque hic commissuram hiare arbitror.

tum colloquium in scaenam prodeunt, prorsus necessarium est. Accedit, quod in Heautont. 1004 coniuges egrediuntur, dum de rebus, quas filium Clitiphonem audire non aptum est, agunt et inter se rixantur; et in Eun. 818 e re est, quaestionem Pythiadis, ut est quaestio, quam maxime secretam fieri (Cf. etiam Trucul. 775 ss.). Nonnumquam consilia secreta habentur (Trin. 729, Casin. 437 et 515). Ergo plerisque locis res secretae aguntur. Quibus de causis has scaenas, quas proximo loco tractavi, ex forma secreti colloquii ortas esse arbitror.

„Sed ea re hae scaenae ab illa forma valde differunt, quod non exordium fabularum sunt". At has scaenas eiusdem condicionis esse nego, cuius illae scaenae, sed dico eas ad illarum exemplum esse conformatas. Tum has scaenas, cum non iam initio fabulae, sed in exordio actus adhibeantur, consentaneum est cum argumento scaenarum antecedentium quodam modo coniungi. Eo fit, ut ex primis statim verbis, quibus personae in scaenam ingressae diverbium incipiunt, colloquium iam intus inceptum esse pateat. (Andr. 821 „Orandi iam finem face". Heautont. 1010 „Immo scis potius quam quidem redeat integra oratio". Eun. 818 „Pergin scelesta mecum perplexe loqui?" Ad. 517 „Ain patrem hinc abisse rus?").

Fortasse formam incepti extra scaenam colloquii etiam propterea comici praeferebant, quod actio ita vividior fiebat. Quidni idem senserint, quod Kaibelius (El. p. 65) de Antigonae Sophocleae exordio iudicat: „Man sieht nicht ein, warum ihre Unterredung, da sie doch zusammen leben und zusammen erscheinen, gerade in dem Augenblicke beginnt, wo sie miteinander aus dem Hause auf die Bühne treten."?

At inceptum colloquium cum colloquio ante aedes secreto pugnat; nam cum personae, ut secreto colloqui possint, foras exeant, eas extra aedes demum colloquium incohare consentaneum est. Tamen poetas comicos, postquam poetis et spectatoribus, ut personas simul in scaenam foras exeuntes secreta colloqui velle intellegerent,

in consuetudinem abiit. ad exemplum colloquii secreti has scaenas conformasse puto, quod ita commode et facile diverbia, quae omitti non debebant, in scaena agi poterant.

Eo, quod hae scaenae non iam exordia fabularum erant, poetis contingebat, ut non iam eas tantum personas, quae in eadem domo habitabant, sed etiam alienas personas facere possent colloquentes. Quas in scaena aliqua antecedenti in aedes, unde postea egrederentur, ducere debebant. Ita in Andria Chremes postquam v. 789 Simonem visurus intro iit, in v. 820 una cum Simone in scaena conspicitur, et in Trinummo Callicles, qui v. 614 in Megaronidis aedes abiit, in v. 729 cum amico in scaena est. Eiusdem condicionis est locus Casin. v. 515.

His locis ea, quae Dziatzko (Rh. Mus. 1900, 108 ss.) de Epidici Graecae scaena a Plauto inducta protulit et rationibus ex argumento fabulae sumptis ostendere studuit, aliqua ex parte fulciri videntur. In Epidic. v. 166 Periphanes atque Apoecides in scaena versantur colloquentes, neque ex ullo verbo colligitur, quomodo convenerint. Sed cum cogitaveris etiam locos supra adlatos, si scaenae intercidissent, in quibus Chremes, Callicles, Lysidamus in amicorum aedes intro ierunt, interpretationi difficultates adlaturos fuisse, non negabis Dziatzkonis opinioni, qui Periphanem sermone Plautina mutatione interciso iam ante v. 166 consilium suum effatum in aedes Apoecidis vicini abisse suspicatur, speciem veri inesse. Sed tamen, cum ea, quae expositioni fabulae desunt, etiam in prologo perdito intercidisse possint (cf. Leo, Pl. Qu.² 199), mihi quidem, num propter scaenarum compositionem ei accedendum sit, non plane constat collatis locis Phorm. 567 ss. et Hecyr. 198 ss. Quas scaenas quicumque leget, non dubitabit, quin ex forma colloquii secreti ortae sint. Sed ex verbis utriusque scaenae non apparet, unde alterutra persona tam subito venerit. Nam in Phorm. v. 567 Demipho et Chremes in scaena versantur, quamquam Chremetem in scaenis antecedentibus Lemno redeuntem non vidimus, atque in Hecyr. v. 198 ss. Laches et Sostrata

ante aedes colloquuntur, etsi Lachetem. quem ruri esse ex v. 175 didicimus, nondum reversum conspeximus. Utrubique cum intervallum inter duos actus intermissum antecedat, manifestum est Apollodorum finxisse Chremetem et Lachetem interim redisse domum. Nescio an non in Epidico quoque idem acciderit. Nam fortasse licentia, quam poetae post Menandrum admiserunt. agnoscenda est.

c. In non nullis scaenis ex primis statim verbis apparere personas iam extra scaenam colloquium incepisse supra monui. (pag. 39.) Plerumque etiam, qua de re locuti sint, cognoscitur. Hoc scaenarum exordium unde profectum sit, iam paucis ostendam. Altera enim forma scaenarum, in quibus duae personae simul in scaenam procedunt, ea est, ut altera persona alteram comitetur vel altera persona ab altera adducatur: quae causae adeundi iam antea adhibitae erant (e. gr. Prom. 1.. Choeph. 892, Septem 874, Soph. Trach. 971, Aristoph. Ach. 237, Nub. 809 et cet.), sed Euripides primus rem ita instituit, ut vitae speciem servaret et simul actionem vividiorem faceret; nam primus personas, dum simul in scaenam intro eunt, inter se colloquentes fecit.

In Iph. Taur. v. 67 Orestes et Pylades in scaenam veniunt, dum inter se, quid videant, communicant; ex hac scaena, in qua res, de quibus colloquuntur, conspiciunt in scaena demum ipsa, repetitionem illam oriri non potuisse non est quod dicam. Ne tali quidem ex scaena. qualis in postrema Euripidis fabula legitur, potuit proficisci; in qua (Iph. Aul. 303 ss.) Menelaus servum, quem Agamemno epistulam ad Clytaemestram deferre iussit, vi secum ducit et rixantes prodeunt; nam opprobria litigantium. quales fuerint, et chorus et spectatores sibi mente cogitare possunt. neque opus est repetitione[1]). Ergo neque ex

1) Cum hac scaena comparandus est locus Discept. 1, quo servi. et Curculionis 533 ss., quo miles et Lyco litigantes in scaenam veniunt.

communicatione observationum neque ex rixa illa forma nasci potuit[1]), sed eo tantum loco, quo altera persona alteri aliquid, quod altera nescit, narravit extra scaenam. Talis est locus Ionis v. 925, quo senem paedagogum Erechthei et Creusam colloquentes inducit poeta: hoc loco primum eam formam adhibet, quam postea in nova comoedia tam saepe invenimus, ut nos paene taedeat:

925 ss. ὦ δέσποτ', οἵκτου σὸν βλέπων ἐμπίμπλαμαι
πρόσωπον, ἔξω δ' ἐγενόμην γνώμης ἐμῆς·
κακῶν γὰρ ἄρτι κῦμ' ὑπεξαντλῶν φρενί,
πρόμνηθεν αἴρει μ' ἄλλο σῶν λόγων ὕπο,
οὓς ἐκβαλοῦσα τῶν παρεστώτων κακῶν
μετῆλθες ἄλλων πημάτων καινὰς ὁδούς.
τί φῄς; τίνα λόγον λοξίου κατηγορεῖς;
ποῖον τεκεῖν φῄς παῖδα; ποῦ θεῖναι πόλεως
θῆρσιν φίλον θύμβευμ'; ἄνελθέ μοι πάλιν.

Apparet ergo senem omnia iam audisse, quae Creusa cum eo denuo communicat; tamen iterum audire vult, quod malis rebus Creusae ἔξω γνώμης ἐγένετο (v. 926) et veretur, ne non omnia recte perceperit. Deinde usque ad v. 965 Creusa ei repetit, quae iam ante narravit. Haec iterari spectatorum non intererat, cum omnes res iam ex prologo Mercurii cognitas haberent, sed nescio, an chori causa, qui omnia comperire debebat secundum morem tragicum, Euripides hanc miram formam adhibuerit, qua etiam, ut senile ingenium paedagogi depingeret, uti poterat. Neque magis spectatoribus opus erat in Pluto Aristophanea fabula chorum a Carione, postquam adductus est, iterum quaerere, cur Chremylus eum advocaret; cui Cario iure respondet[2]) v. 261: οὔκουν πάλαι δήπου λέγω·

1) Nimirum forma repetitionis, postquam exculta est, etiam in rixa est usurpata.

2) Scholiastae eum senes ludificari putant: . . . τοὺς γέροντας δὲ παίζει μηδὲν εἰπών. Neque Leeuwenus (ad v. 261), qui haec scripsit: „Senes surdastri finguntur, γερόντια ὑπήκωφα, ut Demus ille", imitationem Euripidis sensit.

σὺ δ' αὐτὸς οὐκ ἀκούεις. His verbis si recte intellego comicus scaenas Euripideas, in quibus senes res extra scaenam iam expositas iterum audire cupiunt, vel imitatur vel irridet. In nova vero comoedia innumerabiles loci exstant, quibus poetae hanc formam usurpaverunt, non iam chori causa, sed ut spectatores paucis certiores facerent de colloquio extra scaenam habito. Quae repetitio, prout fabula poscit, vel perbrevis vel aliquanto longior est. Neque semper eadem ratione incohatur: sed apud comicos

aut altera persona, — quod plerisque locis fit atque de origine huius formae nos commonefacit —, cum vel non recte se percepisse opinetur vel non credat, iterum audire cupit, quid altera dixerit [Eun. 891. Magnas vero agere gratias Thais mihi? — Ingentis. — Eun. 771. Hancine ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho? — Ad. 447. Pro di immortales facinus indignum, Geta! quid narras? — Sic est factum. — Poen. 961. Ain tu tibi dixe Syncerastum, Milphio, eas esse ingenuas ambas surrupticias Carthaginienses? — Aio. . . . — Circumtons. 77. Δᾶε πολλάκις μὲν ἤδη πρός μ' ἀπήγγελκας λόγους οὐκ ἀληθεῖς, ἀλλ' ἀλαζών καὶ θεοῖσιν ἐχθρός εἶ. Εἰ δὲ καὶ νυνὶ πλανᾷς με . . . — Κρέμασον εὐθύς, ἐμὲ λαβών τήμερον . . . Eodem modo loci Andr. 301, Heautont. 247 et 954, Ad. 517, Philemonis Trin. 602, Diphili Casin. 353, Rud. 839 et 1265, Apollodori Phorm. 231 et 315, Hecyr. 415, 451, 841, Demophili Asin. 851, anonymi Men. 1050 instituti sunt].

aut persona altera ipsa iniussa se rem dixisse vel aliquid narravisse dicit [Aulul. 120 et 682 ss., Heaut. 616, Cistell. 631, Georg. 22—24, Poenul. 504 (547) et 578, Pseudol. 694, Apollodori Phorm. 348, anonymi Epid. 104, anonymi Mil. 355 et 874, anon. Pers. 329.]

aut altera persona aliquo modo ad alterius dicta respicit. [Sam. 68 ss. . . . ἱκανὸς γὰρ εἶ λαλῶν κατακόψαι πάντα . . . — Andr. 459 ita pol quidem res est, ut dixti, Lesbia: fidelem haud ferme mulieri invenias virum. — Ad. 592. Ego in hac re nil reperio quam ob rem lauder tanto opere, Hegio. — cf. Philemonis Merc. 957, Trin. 729 et 1125, Diphili Vidul. v. 69, Amphitr. 550, Capt. 922 (929), Epid. 166, Trucul. 775 [1]).]

---

1) De hoc genere repetitionis persaepe ea exordia scaenarum commonefaciunt, in quibus persona aliqua dum exit introrsus loquitur atque ad verba personae intus manentis respicit, e. gr. Bacch. 178 et

Non casu et fortuito factum est, ut etiam in novae comoediae permultis scaenis, in quibus repetitio invenitur, vel altera persona alteram adducat vel altera alteram comitetur.

Hanc rationem comicos etiam ad formam secreti colloquii adaptavisse iam supra adnotavi.

d. Idem poeta, qui tanta arte, quod vitam et veri speciem observavit, scaenas illas excoluit, in quibus personae colloquio iam incepto inducuntur, miro modo a specie veri declinavit alia ratione inventa. Nam primus scaenas ostendere coepit, in quibus duae personae prodeunt, quarum altera alteri negotium aliquod mandat, quod, si accurate species veri servata esset, iam ante aditum in scaenam datum esse debebat.

1. Primum exemplum eius formae, quantum nos sciamus, est scaena Hercul. 823 ss.: Iris et Insania postquam apparuerunt in machina astantes, versibus 830—832 deorum nuntia Iunonem et se ipsam Herculem parricidio obstringere cupere dicit ideoque v. 833 s. Insaniae mandat, ut Herculi furorem iniciat; deinde Iris avolat. Ergo cur Insania adsit, optime intellegitur: conficiet mandatum; sed causa, qua commota Iris simul in scaenam ingressa sit, desideratur; qua enim re coacta est in scaena demum illud negotium mandare? Verum tamen quid poeta voluerit, optime perspicimus et probamus: Euripides vere poeta actionem in scaena conspici quam narrationem prologo similem audiri maluit (Cf. Donat. ad Andr. I, 1.1. „In hac scaena haec virtus est, ut argumenti narratio esse actio scaenica videatur".) Itaque id quod Wilamowitzius ad v. 822 dicit: „Iris orientiert zunächst Chor und Zuschauer gleichermaßen über die überraschende Erscheinung. Da nichts den Zuschauer auf diese Personen vorbereitet hat, so steht der Dichter vor derselben Aufgabe wie in den Prologen und löst sie ebenso". cum exceptione tantum rectum est; nam poeta quamquam id agit, ut spectatores

526, Andr. 228, Ad. 636, Curcul. 384, Milit. 1378: Etiam forma introrsus loquendi est repetitio colloquii extra scaenam habiti.

certiores fiant, Euripideam saltem formam prologi bene evitavit: quam si adhibuisset, Insania declamavisset „prologum".

Eodem modo in Phoen. v.690 res instituitur: Eteocles, quem dum chorus cantat intus fuisse scholium ad v. 690 quoddam et Ricardus Arnoldt (Chor. Technik p. 23) recte monent, in scaenam prodit et servum iubet Creontem arcessere; hoc quoque loco, cur is, qui negotium dat, exeat, plane ignari sumus; memoratu vero dignum puto poetam hic Eteoclem hac commoda ratione induxisse, quod in scaena proxima ea persona opus erat.

2. Cum his locis Euripides eius personae causam, quae negotium mandat, non amplius significaverit, in Supplicibus personam mandantem cur in scaenam induxerit, apertum est; nam Theseus, qui in v. 381 scaenam introit, v. 355—357 se cum militibus rediturum esse Eleusinem promiserat, sed cur in scaena demum praeconem Thebas properantem corpora mortuorum reposcere iubeat, non plane patet; ergo si rem ipsam spectes, causa aditus praeconis non exstat; quamquam praeconem Theseum comitatum esse non ignoro.

3. Tertia forma huius generis ita composita est, ut persona altera, postquam alteram in scaenam evocavit, negotia mandet; neutrius aditus causa caret; prior persona qualibet causa commota exiit, altera evocatur. Tamen cur negotium in scaena ipsa mandetur, poeta comprobare non studet. Huius formae exemplum Euripideum in Orest. fabul. v. 110 ss. legitur: Helena, quae iam antea Electram commotura, ut pro se inferias Clytaemestrae afferret, egressa erat, filiam Hermionam evocat, ut hoc ei negotium det. —

Hanc quoque scaenarum compositionem, quod iam saepius factum vidimus, poetae post Euripidem discebant et usurpabant. Iam exordium Iph. Aul., quod post Euripidis mortem compositum esse verisimile est, eius modi est, ut aperte vestigia tertiae illius rationis appareant: Agamemno servum senem e tentorio evocat, cui postea

mandat, ut epistulam ad Clytaemestram ferat[1]). Agamemno autem ipse a servo v. 12 ss. interrogatus cur exierit, se cura atque aerumnis commotum prodisse videtur indicare (v. 16 ss.).

Menander et ceteri comici hanc formam excultam receperunt et non nullis locis adhibuerunt. Apud Menandrum omnes tres modos invenimus:

1. Illius, quem primo loco tractavi, exemplum in in Aulul. exstat: Coquus Congrio exit et in scaena demum puerum aulam ex vicinia petere iubet (390 ss.). Etiam Philemo hac ratione usus est (vide prologum quoque Trinummi, qui ad Herculis scaenam propius accedit.), cuius versus Merc. 272 ss. eandem compositionem quam Phoen. ille locus exhibent: Lysimachus dum exit servo negotium quoddam dat; ipsum autem poeta idcirco tantum prodeuntem facit, ut cum Demiphone in scaena sequenti agere possit.

Hanc formam iam ante Menandrum a comicis receptam esse unica mediae comoediae fabula nobis servata Persa demonstratur, in qua tribus deinceps adhibetur scaenis:

In v. 168 Sophoclidisca iussa nuntium Toxilo afferre in scaenam exit; dum ex aedibus prodit, loqui non desinit cum Lemniselenide, quae in foribus conspicitur[2]). Eodem modo in v. 183 Toxilus servum Paegnium nuntium Lem-

1) Eadem ratione erat comparatum Iphigeniae Ennianae exordium, cf. fr. I p. 43. Ribb.

2) Eius nomen in titulo scaenae legitur, et versus 179a nota So. ei attribuitur; aptissimus est versus, quippe quo verba Sophoclidiscae („amas pol misera") confirmet atque ea in genere ad omnes amantes pertinere adiciat. Itaque perspicere nequeo, quid Ussingius sibi velit, qui cum litteras So. errore ex particula „sed" natas esse arbitretur, quae cum metro non concinat, totam sententiam uncis includit; neque intellego, cur Lindsayus contra memoriam haec verba Sophoclidiscae adiudicet. Nam utique sententia Lemniselenidi non ineptius convenit, quam Charino Merc. 355/56 vel Toxilo similia verba v. 1 ss. Simul igitur cum Sophoclidisca Lemniselenidem exire in scaenam puto, dum eam ad Toxilum mittit.

niselenidi allaturum dimittit et in v. 302 idem Toxilus una cum Sophoclidisca, quam remittit. domo egreditur. In scaena 302 ss. Toxilum etiam remanentem in scaena facit poeta, ut cum Sagaristione colloquatur.

2. Alterum modum Menander in Eun. scaena II. 1 adhibuit, in qua Phaedria rus iturus exit et servum simul egressum Parmenonem dona ad Thaidem deducere iubet. In eadem fabula idem iterum occurit in v. 499 ss. Similis est scaena Capt. 110 ss.

3. Iam si exemplum tertiae rationis quaerimus, praesto est ille locus Pseudoli v. 133 ss.: Leno Ballio ad forum iturus evocat lorarios, ut iis, dum domo abscedit, mandet aliquid. Quae omnia quod contra veritatem foris fiunt. in eo Langenus iure (Plaut. Beitr.) offendit; sed hoc eo mitigatur, quod leno id, quod etiam meretricibus ante ostium non nulla mandat, verbis excusat (v. 171): „vel operire, est quod domi dicere paene oblitus fui."

Idem quod in Pseudol. Menander Langeno iudice commisit mendum, etiam in Aulul. v. 268 ss. observatur, quo loco Euclio ad forum iturus Staphylae, postquam evocavit, negotium mandat. Tales scaenas apud comicos Graecos non inusitatas esse etiam Mnesimachi fragmento 4 (Kock II p. 437) et Menaechm. versibus 220 ss. ostenditur.

CAPVT III.

Varia.

Non solum in his rationibus, quae ex ingenio, ut ita dicam, tragoediae Euripideae natae sunt. sed etiam in rebus exiguis quibusdam comici artem Euripidis secuti sunt.

a. Apud tragicum enim non numquam fit. ut personae. postquam quid in scaena actum esset audiverunt, in scaenam veniant.

Androm. 1047. Peleus rumore de Hermionae fuga audito venit, ut accuratius quid gestum sit comperiat.

Hercul. 1163. Theseus quod rumore accepit Lycum cum gente Herculis pugnare cum copiis advolat.

Orest. 1554. Menelaus de Orestis facinore certior factus accurrit.

Cum his locis conferas Cist. v. 774, quo loco Demipho nuntio audito sibi filiam esse inventam domum redit, et Trinumm. v. 1115, quo loco Lysiteles Charmidem, quem peregre advenisse comperit, conventurus procedit.

Sed fortasse obicias hac ratione et tragicos et comicos non raro usos esse. Iam in Aiace Sophoclea Teucer ipse se rumore de Aiacis morte audito huc venisse narrat (992—1001). At hic locus specie tantum illis Euripideis similis est; re vera enim Tecmessa Teucrum advocari iusserat (804), qua re commotum eum prodire etiam scholium ad v. 977 adnotat. Deinde huc pertinet locus Oed. reg. v. 513, quo Creo compertis criminibus iniuriisque ab Oedipode sibi illatis iratus in scaenam prodit. Profecto hic locus eiusdem condicionis est, quae in Euripidis fabulis invenitur.

Aliter res se habet in fabulis Aristophaneis; in fine enim Acharn. personas, quae post v. 729 accedunt, renuntiationem Dicaeopolidis (719 ss.) audivisse cogitare debemus, et illi, qui pari modo in fine Pacis (1052 ss.) in scaenam prodeunt, eadem ratione de Trygaeo eiusque factis resciverunt, qua v. 302 omnes Graecos, v. 465 Boeotos voces personarum in scaena versantium audire poeta fingit: in Avibus autem mendicus ille poeta (904) et qui eum sequuntur, in scaenam veniunt, postquam v. 843 ss. Pithetaerus cum Euelpide nuntios ad homines et deos mittendos esse constituit; qui nuntii re vera, cum poeta prodit, nondum missi sunt, quod moenibus urbis aedificatis demum nuntios mittendos esse decreverant. Sed ridicule poeta tamen iam certior factus est de Nubilocuculia; musae enim eum edocuerunt (v. 924 ss.); quo modo Aristophanes illam discrepantiam excusare videtur voluisse. Unus locus Aristophaneus, qui re vera comparari potest, in Pluto legitur: v. 335. Blepsidemus

accurrit, qui in tonstrinis de Chremyli divitiis rumorem accepit. Hunc vero locum non demonstrare Menandrum et Philemonem comoediam veterem secutos esse non est quod dicam: nam quis ignorat Aristophanem in hac fabula artem Euripideam imitatum esse? Ergo etiam hac causa, quae in vita centies, in coemoedia Aristophanea hoc uno loco invenitur, uti comici a tragico didicisse possunt.

Unus igitur restat locus Oed. reg., qui quin comicos secutos esse Euripidem ponamus, impedire videtur. At quod et in Euripidis fabularum et in Cistellariae Trinummique extrema parte illae personae in scaenam prodeunt, in Sophoclis autem fabulae media parte Creo advolat, adducor, ut comicos etiam hanc causam ex Euripide sumpsisse putem.

b. In scaena IV, 1 Pseudolus revertitur et paucis Simiam astutum adiutorem esse narrat, quibus verbis animi spectatorum ad Simiam convertuntur; deinde miratur (v. 908), ubinam ille restiterit; postremo (v. 911) Simiam ipsum incedere videt, qui cur tardius in scaenam veniat non explicatur. Qui fit, ut hoc loco personae, quae indidem in scaenam veniunt, non simul appareant? Ea quaestio solvetur, cum ad tragicos recurrerimus. In tragoedia enim saepe nuntius, praeterquam quod res extra scaenam gestas narrat, praenuntiat res, quae mox in conspectum spectatorum venturae sunt. Sed exempla doceant, quid dicam:

In Persis Aeschylea in v. 249 nuntius cladem Persarum nuntiat, deinde v. 508 ss. Atossam certiorem facit eos, qui supersint, domum redituros esse, et in fine fabulae (907) Xerxes domum revenit. Eodem modo nuntius in Septem fabula (793) velut praecursor est pompae funebris, quae v. 861 in scaenam incedit. Porro apud Sophoclem in Oed. reg. v. 1223 ἐξάγγελος Iocastam mortem sibi conscivisse et Oedipodem sibi oculos effodisse narrat, deinde animos chori et spectatorum intendit his verbis (v. 1294 ss):

δείξει δὲ καὶ σοί· κλῇθρα γὰρ πυλῶν τάδε
διοίγεται· θέαμα δ' εἰσόψει τάχα
τοιοῦτον οἷον καὶ στυγοῦντ' ἐποικτίσαι.

Quin etiam bis eidem fabulae Sophocles hanc artem adhibet, qui in Trach. primo nuntium (180) praenuntiantem inducit Licham (199), qui mox (v. 229) cum agmine captivarum mulierum in scaenam veniet, postea (v. 734) Hyllum facit agmen, quod patrem saucium adducturum est (971), praenuntiantem (805).

Euripides vero hac arte persaepe usus est, quod hac tabula illustratur:

Fabula	Nuntius advenit	praenuntiat	id, quod praenuntiavit, conspicitur
Androm.	1070	1159	1166
Heraclid.	784	883	928
Supplic.	650	761	794
Iph. Taur.	238	334	456
Electra.	761	855	880
Phoen.	1335	1476	1480
Bacch.	1024	1339	1168

Omnibus his locis poeta id agit, ut praenuntiatione animos spectatorum in pompam venturam, quae triste praebebit spectaculum, intendat.

Hanc formam Menander ex tragoedia mutuatus est: In Heautont. enim v. 243 ss. Syrus, qui nuntii partibus fungitur, mulieres praenuntiat, quae v. 375 in scaenam progrediuntur („sed quam cito sunt consecutae mulieres".).

Sed est etiam altera forma, quae non derecta ut ita dicam via ex tragoedia in novam comoediam, sed ex tragoedia in comoediam veterem recepta inde in novam comoediam pervenit. Nam Aristophanes praenuntiationem una cum nuntiis tragicis in suum usum vocavit et ita in

brevius contraxit, ut praenuntiatio non iam spatio plus centum versuum ab aditu personae vel pompae praenuntiatae distet, sed perpaucis versibus diiuncta sit; eam formam ex tragoedia oriundam esse ipse sermone tragici coloris fatetur.

Ach. 1174. Servus Lamachi revertitur et conservos evocat: ὦ ὀμῶες, οἱ κατ' οἶκόν ἐστε Λαμάχου et eos curam vulneris eri praeparare iubet, quo spectatores certiores fiunt Lamachum ipsum rediturum esse; et profecto mox v. 1189 (ὁδὶ δὲ καὐτός.) revertitur [1]). Simili loco Avium nuntius (v. 1706) verbis mere tragicis pompam nuptialem Pithetaeri pronuntiat [2]), qui v. 1718 ipse in scaena conspicitur: ὁδὶ δὲ καὐτός ἐστιν. Quos locos Aristophaneos si cum locis tragicis comparamus, eandem formam esse apparet in paucissimos versus contractam [3]).

Sed haec forma tum demum usui novae comoediae, quae ferme nuntiis non utatur, apta erat, cum non iam nuntii, sed personae primariae res mox in conspectum venturas praenuntiabant. Quod primum in Equitibus Aristophanea factum est. In v. enim 1316 Agoracritus exit et choro populum rursus iuvenem factum esse decoquendo narrat et equites admonet, ut linguis faveant: εὐφημεῖν χρὴ καὶ στόμα κλείειν καὶ μαρτυριῶν ἀπέχεσθαι. Paulo postquam ita mutationem Populi denotavit, Populus ipse exit [4]). Qua causa poeta personam intus retinuerit, non

1) Beyer p. 65 fusius de hac nuntii narratione egit.

2) Cf. Beyer p. 68.

3) Tragicam formam non contraxit in Pluto (627—749—771), quam fabulam artem tragoediae sequi iam supra monui.

4) Hic locus Equitum commonefacit Phaethontis Eurip. fragmenti 773, in quo (v. 66) praeco Meropis Aethiopes silentio regem accipere et ei decedere iubet his verbis:

'Ωκεανοῦ πεδίων οἰκήτορες,
εὐφαμεῖτε . . .

Utrubique chorus tamquam in rebus divinis admonetur, ut personam procedentem silentio accipiat; at hoc loco Phaethontis poeta non animos in regem intendere vult, sed id agit, ut morem aulicum gentis barbarae describat (cf. Wilamow., Herm. 18, 404): et accedit, quod praeco non praenuntiat, sed simul cum rege et Phaethonte egressus

dubium est, scilicet exspectationem spectatorum excitare et deinde retardatione augere voluit, sed qua causa persona commota sit, ut intus cesset, non dicitur. Aristophanes cum hanc formam ita mutavit, tum causam tardius eundi addendam esse non sensit vel neglexit, qua iis locis, quibus nuntius prodit, non opus erat, siquidem nuntii est praenuntiare personas sequentes.

Hanc mutationem — mirabile dictu — Euripides secutus esse videtur in Helena, quam qui mediam esse inter tragoediam et comoediam dixerunt, non aberraverunt a vero: In scaena 1369 ss. Helena exit et rebus intus gestis narratis chori et spectatorum animos intentos facit ad habitum Menelai mutatum. Qua autem re commoti Menelaus et Theoclymenus intus cessaverint, nescias, nisi consilium poetae satis causae esse putes. Similis est locus Bacch. v. 912 ss. [1]). Bacchus exit et Pentheum, quem intus muliebri vestitu ornavit, foras evocat verbis ita comparatis, ut animi spectatorum ad vestitum et habitum Penthei intendantur. Rursus nulla causa tardius exeundi invenitur.

Manifestum ergo est, cum nuntii praenuntient pompam plerumque, hanc brevem formam, in qua persona primaria praenuntiat, iis locis, quibus in mutationem vestis vel habitus alicuius personae animis intendere voluit poeta, usurpatam esse. Quam artem poeta comicus imitatus est loco Pseudoli supra allato; et aeque atque locis Helenae et Bacch. allatis hoc loco persona altera mutata veste incedit.

Utrum vero comicum an tragicum poeta novae comoediae secutus sit, nemo qui quantopere Helena Euri-

est (v. 59 s.):

Ἀλλ' ὅδε γὰρ δὴ βασιλεὺς πρὸ δόμων
κἄρυξ θ' ἱερὸς καὶ παῖς Φαέθων
βαίνουσι, τριπλοῦν ζεῦγος, ἔχειν χρὴ
στόμ' ἐν ἡσυχίᾳ . . .

Sed nescio an Aristophanes locum similem Euripidis respiciat.

1) Miro modo forma brevior et longior in eadem fabula exstant.

pidea contulerit ad formam novae comoediae secum reputaverit[1]), pro certo dicere audebit.

Neque solus Pseudoli poeta hanc rationem usurpavit. Poenuli enim versus 470 ss. eiusdem modi sunt: Lycus a fano Veneris revertitur, de eventu sacrificiorum spectatores certiores facit, deinde miratur, ubi miles Antamoenides restiterit, qui cur tardius prodeat non dicitur. Hoc loco non iam verba personae prioris ad personae habitum mox processurae spectant, sed e pristina illa forma nihil nisi interrogatio, qua militem restitisse miratur, et defectus causae morandi remansit.

Egregia arte Philemo hanc formam in Merc. 692 ss. adhibuit: Lysimachus a foro redit et se coquum conduxisse narrat, sed „eum demiratur non venire." Postquam deinde Dorippa egressa est, coquus, qui tam diu cessavit, adest [„Ecce autem perii, coquus adest" (748)] et festiva scaena oritur.

Ea interrogatio, qua is, qui prior accedit, se mirari dicit, ubinam altera persona restiterit, cum his tribus novae comoediae locis inveniatur, fortasse hos locos ab uno exemplo Euripideo vel Aristophaneo nobis deperdito pendere aliquo modo conici potest.

CAPVT IV.

De locis comicorum, qui causa adeundi carent, agitur.

a. Wilamowitzius in Hercul. comm (p. 369): „Es gehört, inquit, zum Stile des griechischen Schauspieles, die Motivierung des Gleichgültigen zu verschmähen, und zum Wesen des antiken Publikums, Adiaphora als solche hinzunehmen und sich bei ihnen nicht aufzuhalten." Quod iudicium aliqua ex parte verum esse concedo. Sed ca-

1) Cf. Leo, Qu. Pl. 113; Monolog. p. 53, quo loco de Philemone ex Helena pendente agitur.

vendum est, ne haec verba falso intellegantur; licentia enim tragicorum semper certis finibus erat circumscripta neque Shakespearii socordia, qui causas adeundi tanquam res minimas non curat, eis unquam permissa erat. Cum plurimis locis fabularum tragicarum aditus causa accurate indicetur, unde poetas sibi observantiam praescripsisse apparet, qua causas adeundi probare cogebantur, tum non nullis locis, quibus causa adeundi non dicitur, certam quandam artem adhibebant, et Herculis quoque locus ad quem ille vir doctissimus haec adnotat, in hoc numero habendus est:

In Soph. Antig. v. 387, postquam custos cum Antigona capta in scaenam ingressus est, Creo forte ex regia procedit; chorus eius adventum praenuntiat: ὅδ' ἐκ δόμων ἄφορρος εἰς δέον περᾷ, ipse autem interrogat: ποίᾳ ξύμμετρος προύβην τύχῃ;

In Oed. reg. v. 513 Creo rumore de iniuria sibi ab Oedipode allata commotus aliunde in scaenam venit; dein Oedipus ipse nescio qua causa adducitur; chorus dicit (531):

αὐτὸς δ' ὅδ' ἤδη δωμάτων ἔξω περᾷ.

Cum tertia persona ex regia prodit Iocasta (634), eam commode accedere chorus dicit (631):

καιρίαν δ'ὑμῖν ὁρῶ
τήνδ' ἐκ δόμων στείχουσαν Ἰοκάστην . . .

Hoc loco vocabulum, quod est καιρίαν, aeque atque voces εἰς δέον et ξύμμετρος ποίᾳ τύχῃ non adhibetur, ut spectatores causam deesse non sentiant, quod Weckleinius (vide adnot. ad Antig. v. 387) opinatur; immo his personis causa prodeundi non opus est; quidni ex aedibus quas habitant interdum egrediantur?

Eodem scaenae exordio usus est Euripides in Alc. 509: Postquam Hercules aliunde, ut in aedes hospitis deverteretur, in scaenam venit, Admetus (v. 507 ss.:

καὶ μὴν ὅδ' αὐτὸς τῆσδε κοίρανος χθονὸς
Ἄδμητος ἔξω δωμάτων πορεύεται.)

regiam relinquit nulla causa adductus.

In Hippol. v. 1153 nuntius Theseum de calamitate filii certiorem facturus accurrit; chorus verbis:

ὃδ' αὐτὸς ἔξω δωμάτων πορεύεται

praenuntiat regem, cuius aditus non probatur.

In Hecuba serva, quae mortuum Polydorum in litore invenit, ad tabernaculum Hecubae redit, ut nuntiet; chorus brevi post (v. 665 s.) his verbis:

καὶ μὴν περῶσα τυγχάνει δόμων ὕπερ
ἥδ', εἰς δὲ καιρὸν σοῖσι φαίνεται λόγοις.

Hecubam praenuntiat, cuius aditus nullo modo probatur.

In Herc. v. 701 Lycus, ut de Amphitryone, Megara, liberis Herculis supplicium sumat, in scaenam venit, et forte Amphitryo ex regia prodit. Hoc loco non iam chorus, sed Lycus ipse alteram personam commode egredi dicit:

v. 701. εἰς καιρὸν οἴκων Ἀμφιτρύων ἔξω περᾷς.

Non dubito, quin fr. XIX ex Pacuvii Medo servatum ad contextum similem pertinuerit (Ribb. p. 122):

„Atque eccum in ipso tempore ostentum senem."

Ex his exemplis perspicuum esse arbitror tragicos Graecos etiam iis locis, quibus persona aliqua prodit in scaenam nulla causa adducta, certam artem adhibuisse; nam primo duarum personarum prior, cuius aditus semper probatur, accedit aliunde in scaenam, deinde chorus vel in una fabula prior persona ipsa alteram personam semper iisdem fere verbis praenuntiat ex aedibus quas habitat prodire et non nullis locis forte eam ad tempus processisse addit; quae altera persona cur prodeat, nullo loco dicitur neque dici debet, quod ex suis aedibus exit[1]).

Hanc eandem formam exordii scaenae, quam Aristo-

---

1) Cf. Deckinger, Die Darstellung der persönlichen Motive bei Aischylos und Sophocles, p. 34 adn. 1: . . . „Aischylos nimmt eben offenbar das Ab- und Zugehen von und nach dem den Bühnenhintergrund bildenden Palast leichter als ein Ein- oder Abtreten durch die seitlichen Parodoi."

phanes[1]) non novit, Menander in Cistellaria exhibet: nimirum persona prior ipsa, postquam chori partes evanuerunt, aeque atque in postremo illo loco Euripidis alteram iam adesse praenuntiat: In v. 653 Lampadio nuntiaturus aliunde in scaenam prodit, dein v. 655 eram Phanostratam videt, quae cur exierit, non dicitur: „Sed eccam eram video." Eodem modo in Bacchidibus res instituta est. Sed ab aditu prioris personae (925) praenuntiatio (978 „sed Priamum adstantem eccum ante portam video . . .") alterius aliquanto longius abest[2]).

Hanc rationem etiam ab aliis comicis receptam esse initio Trinummi (v. 23 ss.) demonstratur: Megaronides, ut amicum „ob noxiam meritam" castiget, in scaenam venit et, postquam v. 39 Callicles forte ex aedibus exiit, eum quem conventurus erat, adesse significat.

Simillima autem tragicorum locis scaena Hecyrae Apollodori est: Phidippus, cuius aditus non probatur, intus prodit. Laches autem, qui iam in scaena est (v. 622) „Sed, inquit, video Phidippum egredi per tempus: accedamus." Phidippum „opportune in ipso tempore" (v. 626) venisse etiam postea repetit[3]).

His locis novae comoediae alteram personam adire εἰς καιρὸν raro additur, sed tamen his locis poetas eadem qua Sophoclem Euripidemque ratione usos esse manifestum esse puto, quod prioris personae aditus probatur[4]), alterius

1) Locus Equitum v. 146 ἀλλ' ὁδὶ προσέρχεται
ὥσπερ κατὰ θεῖον εἰς ἀγοράν.
ea re dissimilis est, quod isiciarius non ex aedibus, sed aliunde in scaenam venit; neque causa prodeundi deest, scilicet hoc die haud aliter atque cotidie propter negotium ad forum proficiscitur, quod verbis non opus est dicere.

2) Intervallum quinquaginta versuum, quod inter aditum Chrysali et praenuntiationem senis intercedit, cantico ortum est, quod Plautum vel addidisse vel auxisse verisimile est.

3) Fortasse etiam in Alexidis Meropide similis ars adhibita erat: cf. fragm. supra allat. 147: „εἰς καιρὸν ἥκεις . . ."

4) Quo modo Laches in Hecyr. in scaenam venerit, plane nescio; vide v. 607.

causa ex aedibus suis foras euntis non indicatur, et quod nullo loco persona, cuius aditum probare poeta supersedet, prior in scaenam prodit. Utrum horum tragicorum secuti sint comici, quaerere supervacaneum est: constare puto eos arte tragicorum usos esse.

b. Plerisque locis Euripides, cur dei qui prologos pronuntiant in scaenam prodeant, indicat. Cf. Alc. v. 22 23, Troad. v. 23/25. Bacchus ineunte Baccharum fabula in scaenam venisse videtur dux Baccharum, quas v. 55—61 ante regiam saltare iubet. Sed in tribus fabulis Hippolyto, Hecuba[1]), Ione prologi cur prodeant non apparet. Qui ea differentia orta est? In Alcestide et Troadibus dei prologum dicentes cum scaenis insequentibus conexi sunt, in Bacchis Bacchus cum adventu chori coniunctus est, in Hippolyto autem et in Hecuba et in Ione prologi cum nihil aliud faciant, nisi ut argumentum fabulae exponant, cum fabula nullo modo cohaerent. Coniunctio igitur prologi et scaenarum insequentium quo magis laxata est, eo magis poetae causam adeundi indicare supersedere poterant. Eo factum est, ut comici, qui deorum prologos ex Euripide sumpserunt, non iam aditum probarent.

Neque enim in Menandri Aulul. v. 1 Lar familiaris cur procedat indicat. Auxilium quoque (Cistell. 149) nihil aliud sibi proposuit, nisi ut prologum diceret (153). Neque Pana in Dyscolo, quam fabulam exemplar Aululariae fuisse Geffckenus opinatur, ullam causam addidisse his verbis puto (fragm. 127 K.):

τῆς Ἀττικῆς νομίζετ' εἶναι τὸν τόπον
Φυλήν, τὸ Νυμφαῖον δ' ὅθεν προέρχομαι
Φυλασίων.

Neque dubito, quin Ignorantiae in Circumtonsa aditus et Ἐλέγχου (Kock fr. 545) et Ἥρως causa caruerit.

1) Cf. Leo, Monolog. p. 23 adnot. 2.

Aëris aditui causa non deest in Philemonis fragm. 91 ideo tantum, quod aër ubique adest[1]). Haud aliter atque Auxilium Menandri in Rudente Diphilea Arcturus et in Amphitr. Mercurius prodeunt, ut argumentum eloquantur (Rud. 31 et Amph. 17 ss.), id est: revera causa deest. Atque quamvis neque poetam neque fabulam noverimus, tamen certo affirmare possumus etiam Φόβον (fragm. adespot. 154 K.) non dixisse, cur adisset.

Haec licentia, quae ad aditum deum prologorum pertinebat, a comicis etiam ad personas fabulae, quae argumentum dicunt, translata est. Micio in Adelphis, Charinus in Mercat., Palaestrio in Milite (v. 79) exempla sunt.

c. In prisca tragoedia Attica prorsus ea regula valet, quam Christianus Muff (Die chorische Technik des Sophokles p. 29) observavit: „Die Aufgabe, die der tragische Chor in der Parodos zu erfüllen hat, ist die, sein Kommen zu motivieren . . .“ Paulus Richter quidem (Zur Dramaturgie des Äschylus p. 135), cui Deckingerus (p. 33) assentitur, hanc contrariam sententiam protulit: „Der Chor ist in der attischen Tragödie eine so feststehende Erscheinung, daß sein Auftreten nicht motiviert zu werden braucht“. At ei repugnant verba antiquorum grammaticorum, qui maiore fabularum copia utebantur quam nos (Schol. Antigon. v. 100): μετάπεμπτοι δὲ ἐοίκασιν οὗτοι ὑπὸ τοῦ Κρέοντος γεγενῆσθαι, ἐπεὶ καὶ τὰς προφάσεις τῆς εἰσόδου τῶν χορῶν πιθανὰς εἶναι δεῖ; et licet illo Agamemnonis loco (v. 40 ss.), de quo disserit Richterus, chorus non apertis verbis se sacrificiis Clytaemestrae in urbe visis advenisse dicat, ut de fortuna Agamemnonis certior fieret, ea quae interrogat v. 83 ss. satis sunt causae; spectatores saltem Attici iis contenti erant, ut interro-

1) Trinummi prologus cum ceteris prologis comparari non potest, quod Philemo hoc loco aliam formam Euripideam consulto imitatus est.

gationes chori in Alcest. v. 77 ss. satis causae esse putabant. Etiam in prioribus Euripidis fabulis eadem lex valet, et in Aristophanis fabulis semper, cur chorus prodeat, dicitur. Primus tribus quod noverimus locis Euripides, qui chorum omnino ab actione fabulae solvit, aditum chori non iam accurate probare ausus est.

Chorus enim Phoenissarum, cur Thebis sit, ipse dicit v. 202 ss. [1]), sed qua re virgines commoveantur, ut in scaenam veniant, parum intellegitur.

Item in fabula eiusdem temporis Hypsipyla aditus chori non probatur, quod fragmenti nuper Oxyrhynchi reperti 1 col. 2 versus 15 ss. docent; chorus enim Hypsipylam, cur ante aedes sit, interrogat, ipse cur adsit non dicit.

Aequo modo atque in Phoenissis chorus tractatus est in Iph. Aul., in cuius fabulae vers. 164 ss. mulieres Chalcidenses se Aulidem venisse, ut classem Achivorum viderent, ipsae profitentur, sed non explicant, qui fiat, ut hoc ipso ante Agamemnonis tabernaculum loco prodeant. Personas autem si in scaenam inducit peregre venientes poeta, et cur in hanc urbem veniant et cur hoc loco procedant, accurate indicare non neglegit.

Itaque Euripidem in ultimis quas conscripsit fabulis causam aditus chori neglegentius tractavisse in propatulo est. Apud comicos vero, quantum nos scimus, nulla adeundi iam exstat causa; nam chorus constare videtur ex grege iuvenum potorum, qui temere vagantes casu in scaenam irruunt (cf. Alexidis fr. 107, Circumtons. 71, fragm. Jernstedt. v. 34), id est: comici rationes Euripidis et eorum, qui eum secuti sunt, imitati chorum vel nullo

1) Weckleinius ad hunc versum adnotat: „Der Chor motiviert sein Auftreten, indem die Jungfrauen, für den Tempeldienst in Delphi unter den schönsten Jungfrauen des Landes auserlesen, berichten, wie sie auf dem Wege nach Delphi in das stammverwandte Land der Kadmeer gekommen sind". At v. d. parum perspexit ita id solum, quod chorus iam aliquot dies Thebis est, explicari, non quod in scaenam ingreditur.

modo vel tenui quodam ligamento cum actione fabulae conexum in scaenam duxerunt [1]).

Deinde etiam formulam, qua aditus chori pronuntiatur, ex Euripide sumpserunt: quod Fraenkelius p. 70 s. demonstravit collatis Phoeniss. versibus 193 ss. cum Alexidis fragmento 107, Menandri fr. incerto II, 33 (Koerte), Circumtons. 71 s.: Personae in scaena versantes turbae chori in scaenam adeuntis se cedere dicunt. Sed primus iam locus eiusmodi est in Phaethontis, quam fabulam prioris temporis Euripidei esse Wilamowitzius (Herm. 18. 434) ex versuum formis concludit, fragmento 773, 10:

ἀλλ' ἕρπ' ἐς οἴκους· καὶ γὰρ αἴδ' ἔξω δόμων
ὁμφαὶ περῶσιν. αἱ πατρὸς κατὰ σταθμοὺς
σαίρουσι δῶμα καὶ δόμων κειμήλια
καθ' ἡμέραν φοιβῶσι κἀπιχωρίοις
ὀσμαῖσι θυμιῶσιν εἰσόδους δόμων . . .

Huius formulae actum finientis in fabulis latinis unum remansit vestigium Bacch. v. 107: „Simul huic nescio cui turbare qui huc it, decedamus", quod Fr. Leo (Herm. 46, 492 Χοροῦ bei Plautus) cognovit; quamquam huius versus verba, ut nunc leguntur, post Plautum mutata sunt.

CAPUT V.

De comicis Aristophanis sectatoribus.

Sed comoediam novam et Euripidem non nullis rebus inter se differre non silentio praetereundum est; neque enim desunt res, quibus comoediae novae cum comoedia vetere conexus demonstretur [2]).

1) Cf. de chori in nova comoedia partibus Leo, hist. litterar. I, p. 101.

2) Vide etiam pag. 30 ss. et adnotationem pag. 31.

a) Nam et apud Aristophanem et apud poetas novae comoediae scaenae inveniuntur, in quibus personae, quae in scaenam prodeunt, in ipsa demum scaena id animum inducere videntur, quo re vera ut scaenam intro irent commotae sunt.

In Aristoph. Ach. 729 Megarensis aliquis cum filiabus prodit; quid velit, primo non perspicitur, deinde filias, postquam se venditari tanquam porculas quam esurire malle dixerunt, offert Dicaeopolidi, ut emat: eum vero filias vendere iam antea quam in scaenam venit constituisse inde apparet, quod iam saccum, in quo ungulas suillas et rostra ferebat, secum portavit. Itaque Aristophanes nobis festiva scaena, quomodo propositum Megarensis oriatur, ostendere quam ieiune narrare mavult. Ars similis, non eadem est, qua Euripides in scaenis supra p. 44 s. tractatis usus est.

Iam conferas quaeso hunc locum Menandreum[1]): Ad. 610[a] Aeschinus, postquam extra scaenam a Canthara, quid Sostrata et Pamphila de se suspicarentur, comperit, in scaenam procedit et mente agitat: (v. 611) . . . „ut neque quid me faciam nec quid agam certum sit". At quin re vera se Sostratae et Pamphilae purgare ei iam tum propositum fuerit, cum in scaenam progrediebatur, nemo dubitabit.

Eandem rationem invenimus in Andr. scaena IV 1, Charinus enim de nuptiis Philumenae et Pamphili instantibus a Byrria certior factus in scaena demum Pamphilo animi inconstantiam exprobrare sibi proponere videtur (639 ss.). Sed etiam hoc loco aditum in scaenam eo consilio probari Spengelius recte cognovit[2]).

1) Huc non pertinet locus Sam. 296, quia in Parmenonis verbis nihil iam dubitationis inest.

2) Hanc scaenam si Terentius de suo addidit (v. Donat. ad II 1, 1: „Has personas Terentius addidit fabulae; nam non sunt apud Menandrum . . ."), id quod non satis constat, optime artem Menandri observavit et imitatus est (cf. Fraenkel p. 57). Leo (hist. litter. p. 239): „Terenz zeigt sich durchaus fähig und geübt, wie ein anderer Epigone der neuen Komödie Menanders Stilmittel anzuwenden".

Addendus est locus Militis 272, quo Sceledrus egressus, postquam se valde mirari dixit, quod Philocomasium in domo vicini Periplectomeni vidisset, in scaena demum ostium servare animum inducit. Poeta, qui hanc scaenam composuit, egregie servi stultitiam segnem tardamque effingit ea ratione.

Eandem Menander, cum duas personas in scaenam ingredientes facit, cum repetitione colloquii extra scaenam incepti ita coniungit, ut personae in scaena demum post repetitionem id decernere videantur, quo re vera adducuntur, ut prodeant. Quod discimus ex loco Ad. 592: Micio et Hegio postquam extra scaenam convenerunt et Micio Hegioni rem totam exposuit, nunc demum in scaena constituunt una ad Sostratam ire.

Identidem altera persona idcirco tantum in scaenam inducitur, ut id colloquium paucis repetatur, quo fit, ut altera in scaenam prodeat: ergo si rem veram spectas, alterius aditus probatur, alterius non probatur: In Heautont. v. 614 Sostrata et nutrix egrediuntur colloquentes ex aedibus Chremetis. Anulo enim cognito Sostrata domo exsilit (657), ut virum opperiatur (619) et ei rem narret. Nutrix autem cur exeat, non dicitur; nempe adest, ut colloquium repetatur et consilium Sostratae quomodo oriatur, demonstretur; itaque postquam nutrix id, quod secundum consilium poetae facere debebat, perfecit, quadam causa intro abigitur.

In Heaut. v. 954 exeunt Clitipho et Syrus ex aedibus Menedemi, qui eos comitatur. Clitipho postquam denuo in scaena a Menedemo Chremetem se abdicare velle audivit, patrem conventurus est (960), Syrus una cum eo egreditur et fortasse ipse quoque cum Chremete locuturus est. Menedemus autem quid velit, non cognoscitur; sed hac persona poeta utitur, ut paucis colloquium inter eam et Clitiphonem intus habitum repetat. Menedemum propter id consilium poetae egressum esse eo confirmatur, quod post v. 960 nullum iam verbum dicit, sed intro abit[1]).

1) Omnia igitur in scaena Heaut. 614 ss. cum arte Menandri

Eiusdem modi est Andriae scaena II. 1: in v. 301 Charinus et Byrria colloquentes in scaenam procedunt: et cum primos versus, quos dicunt. spectes. arbitrari possis, Charinum nulla causa adduci in scaenam. In versibus demum 310/311 rem ex Pamphilo exquirere videtur constituere. Quod consilium re vera causam prodeundi esse Spengelius quoque recte perspexit. Etiam hoc loco ea persona, quae, ut colloquium repeti posset, — nam praeter versus duos (323/4) in colloquio Charini et Pamphili non ad Byrriam respicitur, — in scaenam prodierat, satis repente abigitur[1]) (337).

Menander vero hac repetitione, qua id consilium, quod persona in scaena demum capit, probatur, etiam ita usus est, ut alteram personam, quae qua causa commota in scaenam prodeat, praeterquam quod repetitionis causa necessaria est, non intellegitur, in scaena sequenti adhiberet, quod idem artificium etiam in scaenis, in quibus negotium datur, observavimus p. 45/46 — : In Poenul. v. 961 Agorastocles et Milphio procedunt; Agorastocles meretrices ambas ingenuas esse Carthaginienses comperit, et eas liberali causa manu asserere decernit: Milphio autem, postquam rem detexit, non abit, sed in scaena insequenti partes agit.

Recordamur scaenam Georgi v. 22 ss.: Philinna, postquam de facinore iuvenis vicini a Myrrhina certior facta est. vix se continet, quin illum verbis acerbissimis castiget: ea de causa eam exisse fingere debemus; Myrrhina autem, quae paucis colloquium intus habitum repetit, nulla causa adducta ut egrediatur, in scaena sequenti magnas agit partes.

---

concinunt, neque intellego, qua re commotus Xencinius Chremetem in fabula Graeca post v. 612 intus isse, ut pecuniam ad redemptionem necessariam apportaret, et deinde, recognitione intus comperta, omnia spectatoribus exposuisse coniciat. Quodsi Terentius hoc loco Menandrum non vertit, sed imitatus est, artem Menandri tam penitus pernovit, ut iure „dimidiatus Menander“ dictus sit.

1) Leo hist. litterar. pag. 240 adnot. 1 id, quod causa qua commotus Byrria abeat re vera deest, vestigium contaminationis Terentianae esse putat: nescio an non iure.

Menandrum non solum hac usum esse arte nullum iam exstat argumentum praeter scaenam Philemonis Trin. 602 s. Callicles enim, postquam argumentum colloquii intus habiti relatum est, v. 614 ad „castigatorem suum" Megaronidem ire constituit, Stasimus autem, quocum colloquium iteravit, in scaena remanet.

b) Deinde poetae novae comoediae, quam causam eos ex comoedia sumpsisse re ipsa ostenditur, duobus locis servos exeuntes faciunt, ut ambulando crapulam amoveant. Hac causa Menander loco Ad. 763 usus est; eadem in exemplari Pseudoli legebatur olim; nam ut nunc in Plauto scaena V, 1 exstat, Pseudolus duas diversissimas causas procedendi profert: In v. 1282 „inde huc exii, crapulam dum amoverem" dicit, sed in versu insequenti se prodisse, ut dominum de foedere moneret, adicit. Ex quibus causis unam solam genuinam fuisse apparet, alteram additam esse. Et quod verba Simonis 1241 ss. ex exemplari Graeco desumpta aperte ostendunt Simonem servo in fabula Graeca ultro ex aedibus obviam isse, alteram causam, quam Pseudolus adicit, se dominum de foedere moniturum esse, a Plauto proficisci Leo recte putat (Abh. d. Ges. d. Wiss., phil.-hist. Kl. 1, 7, 41 adnot.).

Ea, quae ex Aristophane in novam comoediam fluxerunt, quod ad causas adeundi attineat, pro Euripidis inventis a comicis receptis perpauca sunt; quibus comparatis optime illustratur, quanta apud poetas posteros fuerit auctoritate tragicus, qui etiam in rebus minutis ad formam novae comoediae multum valuerit. Postquam iam Agatho tragicus, qui prope eius fuit aequalis, eum imitatus est, magis magisque poetae scaenici fabulas ad tragoediarum Euripidearum exempla formabant. Ex rationibus et causis, quae apud comicos saepe leguntur, certe inventa Euripidis sunt aditus personarum aut dolore aut inquiete animi aut consideratione in scaenam adduc-

tarum, repetitiones colloquiorum, scaenae in quibus altera persona alteram subsequitur, scaenae in quibus duarum personarum egressarum altera alteri aliquid mandat, id est: exordia plerarumque novae comoediae scaenarum exempla produnt Euripidea. Eadem certa fide ut etiam ex quibus fabulis singula orta sint indicemus, nobis non contingit. et quod tragicus nimirum pleraque inventa identidem adhibebat et quod plurimae fabulae Euripidis nobis servatae apud veteres non tam praeclarae erant, ut quemquam eas in exemplum assumpsisse veri simile sit. Tamen Medeae prima scaena affectum doloris, Telephus fabula inquietem animi, prologus Stheneboeae considerationem esse causam prodeundi posse poetas docuisse mihi videtur; ex Hippolyto autem (v. 601) duas personas nova ratione simul in scaenam ducere, ex Hercule negotium in scaena mandari interdum, quamvis naturae veritati non responderet, propter artem poeticam necessarium esse discebant. Ionis scaena iis demonstrabat, quo modo repetitio colloquii extra scaenam incepti esset instituenda. Minus vero singulas fabulas quam universam rationem atque velut derectionem tragoediae Euripideae comici sequebantur, cum causam introitus prologi et chori neglegebant.

Iam si comicos contemplamur, inventa, quae Euripides perraro adhibuerat, in fabulis comicorum coacervari notabile est: quae apud tragicum ornamenta fuerant, his tam necessaria erant, ut a comoediae genere dicendi seiungi non possent; nam si fabulis novae comoediae affectum causam adeundi, colloquia duarum personarum secreta, repetitionem incepti colloquii demeres, non iam essent fabulae novae comoediae. Tale quid cum in quodam genere poetico accidit, cavendum est, ne ex arte consuetudo fiat. Hoc periculum comicos non semper evitavisse ex aliquot locis allatis manifestum est.

Omnes rationes causasque a comicis receptas solius Menandri fabulae, quippe quae sint plurimae, nobis exhibent; quibus in aliis formis alia accedunt testimonia reliquorum comicorum. Itaque num comici in his causis atque

rationibus usurpandis inter se differant, diiudicare non licet. Sed ex ea re quod etiam poeta, qui Captivos composuit, quamquam comoediae Menandreae adversarius erat, non potuit, quin nonnullas saltem formas comoediae impugnatae assumeret, verisimiliter colligitur haec artificia totius fuisse novae comoediae neque ab hoc genere seiungi potuisse.

De versione Plauti et Terenti nihil novi discimus; nam quis ignorat, Terentium diligentius artem Graecorum observasse et imitatum esse? Quod etiam hac quaestione demonstratur, in qua in undeviginti fabulis Plautinis sexaginta duo (62 : 19 = 3,2 . . .), in sex fabulis Terentianis viginti sex imitationes artis Euripideae (26 : 6 = 4,3 . . .) indagavimus. Omnino hac universa disputatione virorum doctorum de Euripide et nova comoedia opiniones non mutantur, sed confirmantur et illustrantur.

Conspectus capitum.

Caput I. De locis quibus singulae personae affectu commotae prodeunt, agitur.
- a. De dolore.
- b. De inquiete animi.
- c. De consideratione.
- d. De timore.
- e. De exspectatione.

Caput II. De locis, quibus duae personae simul in scaenam ingrediuntur, disputatur.
- a. De colloquio secreto.
- b. De repetitione colloquii extra scaenam incepti.
- c. De iis locis, quibus altera persona alteram subsequitur.
- d. De scaenis, in quibus negotium datur.

Caput III. Varia.
- a De iis locis, quibus personae rumore de rebus in scaena gestis audito veniunt.
- b. De defectu causae tardius eundi.

Caput IV. De locis comicorum, qui causa adeundi carent, agitur.
- a. De personarum aditu.
- b. De prologi aditu.
- c. De chori aditu.

Caput V. De comicis Aristophanis sectatoribus.
- a. De scaenis, in quibus personae in ipsa demum scaena id animum inducere videntur, quo re vera, ut scaenam intro irent, commotae sunt.
- b. De crapula causa prodeundi.

Conspectus locorum tractatorum.

Uncis curvatis inclusi locos earum fabularum, quae contaminatione cum aliis fabulis coniunctae sunt. Quae scaenae a repetitione colloquii extra scaenam habiti exordium incipiant, denotare supersedi.

	pag.
Aeschylus:	
Agamemno 1372	13
Choephoroe 875	29
Eumenides 34	29
Sophocles:	
Aias 992	48
Antigone 1	34
387	54
1278	29
Oedipus rex 513	48
513	54
631	54
1223	29
Electra 86	15
424 s.	12
Trachiniae 871	29
Philoctetes 1222	34
Euripides:	
Alcestis 507	54
Medea 1	14
Hippolytus 1	57
176	25
601	14
601	33
Hecuba 1	57
59	12
665	55
Andromache 1047	47
Hercules 701	55
823	44
1163	48
Supplices 381	45
Iphigenia in Tauris 1	12
67	41
Ion 925	42
1250	29
Helena 1369	52
Phoenissae 1	15
202	59
690	45
Orestes 110	45
1369	29
1554	48
Iphigenia Aulidens s 1	45
164	59
303	41
1098	31
1106	35
Bacchae 912	52
Fragmenta:	
Phaethon 773, 10	60
773, 66	51
Hypsipyle 1 col. 2, vers. 15 ss.	59
Stheneboeae prolog.	27
Fragmenta aliorum tragicorum:	
Agathon, fr. Nauck fr. ἀδέσπ. 50	17
Dicaeogenes, fr.	
Theodectes, fr. 10	17
Aristophanes:	
Acharnenses 176	29
729	48
729	61
1003	31
1174	51
Equites 1316	51
Nubes 627	20
1321	29
Vespae 1474	21
Pax 1052	48
Aves 904	48
1118	30

	pag.
Aves 1706	51
Lysistrata 708	26
Thesmophoriazusae 1	35
Ecclesiazusae 1	16
877	31
Plutus 253	42
335	48
Fragmenta comicorum:	
Philemon 79	19
91	58
123	23
Theognetus 1	19
Pherecrates 193	19
Straton 1	24
Alexis 107	59
147	26
147	56
Mnesimachus 4	47
Menander:	
Disceptantes 1	41
165	22
202	22
384	22
432	22
434	20
487	22
Samia 142	8
Circumtonsa 1	57
71	60
Georgos 22	63
fr. Jernstedt. 34	60
fr. 127	57
fr. 164	18
fr. 545	57
Fragmenta ἀδέσποτα 154	58
Plautus:	
Menandreae fabulae:	
Aulularia 1	57
120	36
268	47
390	46
398	9
406	34
Bacchides 107	60
109	34
612	22
770	23
978	56
Cistellaria 149	57
653	56
Cistellaria 774	48
Poenulus (470)	53
961	63
Pseudolus 133	47
905	49
956	24
1282	64
Philemonis fabulae:	
Mercator 1	58
3 ss.	19
272	46
588	25
692	53
700	23
Mostellaria 84	27
157	38
Trinummus 39	56
223	27
602	64
627/28	34
729	38
1115	48
1125	38
Diphili fabulae:	
Casina 89	34
(437)	38
(515)	38
(538)	32
(591)	32
(621)	30
(855)	32
(875)	30
Rudens 1	58
593	13
892	32
1191	24
Demophili Asinaria 16	36
504	38
591	34
Anonymae:	
Amphitruo 1	58
633	28
882	11
1053	29
Captivi 110	47
516	34
Curculio 533	41
591	34
Epidicus 1	34
166	40
382	28
607	32
Menaechmi 220	47
704	32
Miles 79	58
272	62

	pag.
Miles (596)	37
Persa 168	46
183	46
302	47
Truculentus 322	25
669	32
775	38
Terentius:	
Menandri fabulae:	
Andria 175	22
(301)	63
(625)	61
820	37
Heautontimorumenos 230	22
614	32
614	62
879	31
954	62
1003	37
Eunuchus 81	23
207	47
499	47
818	37
1031	23
Adelphoe 288	37
517	38
592	62
610 a	61
763	64
789	20
855	27
889	32
899	23
Apollodori fabulae:	
Phormio 153	38
567	40
606	32
728	25
Hecyra 198	40
516	30
516	34
577	38
622	56
Fragmenta:	
Accii Epigon. V	35
Pacuvii Medi XIX	55
Pomponii Praecon. posterior. X	37
Turpilii Epicleri I	18

VITA.

Carolus Hermannus Harms natus sum Emdae ante diem quintum decimum kal. Februarias anni 1890 patre Iohanne matre Meta e gente Schrage. Fidei addictus sum evangelicae Luthericae. Primis litterarum elementis a matre imbutus per biennium ludi ab ecclesia Lutherica instituti discipulus fui. Deinde per novem annos gymnasium urbis patriae frequentavi. Maturitatis testimonio accepto a vere usque ad autumnum anni 1908 Bonnae, deinde usque ad ver anni 1910 Berolini, tum usque ad ver anni 1913 Gottingae operam dedi studiis philologicis et historicis. Magnas semper habebo gratias viris doctissimis, qui me docuerunt: Brinkmann, Elter, Loeschcke, Marx, de Mess, Nissen, Solmsen Bonnensibus, Hirschfeld, Lenz, E. Meyer, Norden, Riehl, Guil. Schulze, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff Berolinensibus, Brandi, Busolt, Husserl, G. Koerte, Leo, Mollwo, G. E. Müller, Pohlenz, Wendland Gottingensibus. Bonnae et Berolini exercitationibus proseminarii philologici, Gottingae proseminarii historici annum et proseminarii archaeologici sex menses interfui, Busoltii exercitationes ter senos menses frequentavi; seminarii philologici secundi et seminarii prioris Gottingae singulos annos Leone, Pohlenzio, Wendlandio moderantibus sodalis fui. Plurimum autem Leoni debeo, cuius memoriam, cum omnibus studiis meis atque etiam huic quaestioni conficiendae benigne faverit, semper grato animo colam. Pro facultate docendi examen sustinui Gottingae ante diem decimum Kal. Martias anni 1913. A Kal. April. anni 1913 seminarii paedagogici, quod adiunctum est gymnasio Fridericiano Herfordae, sodalis fui.

PA
3978
H3

Harms, Carl Hermann
De introitu personarum
in Euripidis et novae como-
ediae fabulis

PLEASE DO NOT REMOVE
SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY